...CA NAZ.
...o Emanuele III
XVI
D
28
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

INSTITUTIONUM
JURIS CANONICI

AUTHORE

FRANCISCO MARIA GASPARRO

ROMANO

In Almæ Urbis Archigymnaſio
ejuſdem Juris publico
Profeſſore,

ET IN ROMANA CURIA ADVOCATO.

Ad uſum Seminarii Romani.

PARS SECUNDA.

ROMÆ MDCCXXI.
Typis de Martiis, propè Templum S. Mariæ de Pace.

SUPERIORUM PERMISSU, ET PRIVILEGIO.

Digitized by Google

Digitized by Google

INNOCENTIUS PP. XIII.

AD Futuram Rei Memoriam. *Cùm ſicùt dilectus filius modernus Rector Seminarii Romani Nobis nuper exponi fecit, ipſe libros à dilecto filio* Franciſco Maria Gaſparri Juris utriuſque Doctore, in Archigymnaſio Sapientię de Urbe Lectore, & in Romana Curia Advocato *compoſitos, & in plures Tomos diſtinctos, quibus titulus=* Inſtitutiones Juris Canonici, & Civilis= *ad uſum Convictorum dicti Seminarii, illiuſque expenſis Typis in eadem Urbe novitèr mādaverit, ſeu mandari intendat; vereatur autèm, ne alii qui ex alieno labore lucrū quærunt, Libros hujuſmodi in ipſius Rectoris præjudiciū, iterùm imprimi curent; Nobis proptereà humilitèr ſupplicari fecit, ùt ſibi in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur; Nos igitùr eumdem Rectorem ſpecialibus fauoribus, & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodutus exiſtis, ad effectum præſentium dumtaxàt conſequen. harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, eidem Rectori, ùt decennio proximo à primæva librorū præfati impreſſione computando durante; dummodò tamèn ille priùs à dilecto filio Magiſt. Sac. Palat. Apoſtol. approbati ſint, nemo tam in Urbe prædicta, quā in reliquo ſtatu Eccleſiaſtico mediatè, vel immediatè Nobis ſubjecto libros prædictos, ſeù eorum aliquem ſine ſpeciali dicti Rectoris, aùt ab eo cauſam habentium licentia imprimere, aùt ab alio, vel aliis impreſſos vēdere, aùt venales habere, vel proponere poſſit, Apoſtolica auctoritate tenore preſentiū concedimus, & indulgemus, inhibentes propterea utriuſque ſexus Chriſti fidelibus*

præ-

Digitized by Google

præſertìm Librorum Impreſſoribus, & Bibliopolis ſub quingentorum ducatorum auri de Camera, & amiſſionis Librorum, & Typorum omnium pro una Cameræ noſtræ Apoſtolicæ, & pro alia eidem Rectori, ac pro reliqua tertiis partibus accuſatori, & Judici exequenti irremiſſibilitèr applican. & eo ipſo abſquè alia declaratione incurrendis pœnis, ne dicto decennio durante, libros prædictos, ſeù eorum aliquem tàm in Urbe quàm in reliquo Statu prædictis ſine hujuſmodi licentia imprimere, aùt ab aliis impreſſos vendere, ſeù venales habere, vel proponere quoquomodo audeant, ſeù præſumant: Mandantes propterea dilectis filiis noſtris, & Apoſtolicæ Sedis de Latere Legatis, ſeù eorum Vicelegatis, aùt Præſidentibus, Gubernatoribus, Prætoribus, & aliis Juſtitiæ Miniſtris Provinciarum, Civitatum, Terrarum, & locorum Status noſtri Eccleſiaſtici prædicti, quatenùs eidem Rectori, ſeù ab eo cauſam habentibus prædictis in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes quandocumque ab eodem Rectori requiſiti fuerint, pœnas prędictas contrà quoſcumque inobedientes irremiſſibilitèr exequantur. Non obſtan. Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac quibuſvis ſtatutis, & conſuetudinibus etiàm juramento confirmatione Apoſtolica, vel alia quavis firmitate roboratis, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficientèr expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxàt ſpecialitèr, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque: Volumus autèm, ùt præſentium Tranſumptis etiàm in ipſis libris impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & Sigillo perſonę in Dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quę in Judicio, & extrà illud ubiq; præſentibus, ipſis adhiberetur ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ; Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Sub Annulo Piſcatoris 1. Julii MDCCXXI. Pontificatus Noſtri Anno I. F. Cardinalis Oliverius.

INDEX TITULORUM SECUNDÆ PARTIS.

TITULUS I.
De Sacramentis in genere. pag. 2.

TITULUS II.
De Sacramento Baptiſmi. pag. 11.

TITULUS III.
De Sacramento Confirmationis. pag. 20.

TITULUS IV.
De Venerabili Eucbariſtiæ Sacramento. pag. 23.

TITULUS V.
De Sacramento Pœnitentiæ. pag. 31.

TITULUS VI.
De Sigillo Sacramentali. pag. 54.

TITULUS VII.
De Sollicitatione. pag. 58.

TITULUS VIII.
De Sacramento Extremæ Unctionis. pag. 61.

TITU-

TITULUS IX.
De Sacramento Ordinis. pag. 67.

TITULUS X.
De Sponſalibus. pag. 76.

TITULUS XI.
De Sacramento Matrimonii. pag. 82.

TITULUS XII.
De Bonis Matrimonii. pag. 91.

TITULUS XIII.
De Impedimentis Matrimonii. pag. 103.

TITULUS XIV.
De Divortio. pag. 123.

TITULUS XV.
De Eccleſiis ædificandis, vel reparandis. pag. 127.

TITULUS XVI.
De Conſecratione Eccleſiæ, vel Altaris. pag. 137.

TITULUS XVII.
De Immunitate Eccleſiaſtica. pag. 146.

CAPITULUM I.
De Immunitate Locali. pag. 147.

CAPITULUM II.
De Immunitate Reali. pag. 155.

TITU-

Digitized by Google

TITULUS XVIII.
De Sepulturis. pag. 163.

CAP. UNICUM.
De Portione Canonica, Parocho debita, vel Quarta funerali. pag. 179.

TITULUS XIX.
De Decimis, Primitiis, & Oblationibus. pag. 189.

CAP. UNICUM.
De Primitiis, & Oblationibus. pag. 204.

TITULUS ULTIMUS.
De Rebus Eccleſiæ alienandis, vel non. pag. 209.

Reim.

Digitized by Google

Reimprimatur

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sac. Palatii Apoſtolici.

T. Cervinus Epiſcop. Heracleæ Viceſg.

APPROBATIO OPERIS.

QUod contigit in Prima hujus Operis Parte, hoc & in ſecunda mihi contigiſſe ſeriò præmoneo, & affirmo; nihil hic ſcilicet occurriſſe, quod & moribus officiat, & Chriſtianæ pietati non omninò reſpondeat: Canonicas itaque ſanctiones ab eruditiſſimo Auctore elucubratas ſtudioſus Lector, quàm libentiſſimè accipiat. Eas enim quum Reverendiſs. Pater Sac. Palatii Apoſtolici Magiſter tenuitati meę tradiderit expendēdas, adeò illas, vel doctrinæ robore confirmatas, vel ſtylo, & enarratione jucundas perſenſi, ùt communi omnium bono egregiè conſultum exiſtimem, ſi quàm primum pręlo mandentur, Lectoribus utiles, & Auctori ſuo non mediocri ſanè ornamento futurę. Decimo nono Kal. Auguſti MDCCII.

Camillus Spretus Sac. Conſiſt. Advocatus, & Urbis Archigymnaſii Rector Deputatus.

Reimprimatur

Fr. Gregorius Selleri Sac. Pal. Apoſtolic. Magiſter Ord. Prædic.

PARS

PARS SECUNDA
DE REBUS.

1 HUjus ſecundæ partis objectum ſunt res Eccleſiaſticæ,quarum alię ſpirituales dicuntur, aliæ temporales:

2 Pro ſpiritualibus non eas hìc accipias, quę in quidditate ſunt tales, ùt Anima rationalis, Angelus &c. ſed eas, quę ità appellantur, eo quià ſpiritui inſerviant, & ad animarum ſalutem ſint inſtitutę, ùt Sacramenta Eccleſię &c.

3 Temporales autem eæ res Eccleſiaſticę dicuntur, quę potiùs corpori inſerviunt, quàm ſpiritui, qualia ſunt bona ex quorum redditibus vivunt Altaris Miniſtri, & comparantur res neceſſarię ad Divina peragenda, ùt Fundi, Domus, loca Montium &c.

4 Ulteriùs ex hujuſmodi rebus ſpiritualibus alię corporales ſunt, quę ſenſibus ſcilicet externis ſubduntur,

Digitized by Google

tur, ùt Calices, Eccleſię materiales &c. Alię ſunt incorporales, quę ſenſu corporeo percipi nequeunt, ùt dona Dei gratia &c.

Quoniam verò inter res ſpirituales, quæ ſenſibus ſubjacent, primo loco Sacramenta donantur, inſcribatur.

TITULUS I.

De Sacramentis in Genere.

1 HOc nomen *Sacramentum* (omiſſis lationibus ſignificationibus, quas habet) idem in Sacra Scriptura, & apud Eccleſiaſticos Scriptores reddit ac *Myſterium*, & propriæ ſignificat cæremoniam hominem ſacrantem, ſeù ſignum rei ſacræ, & occultę nempè gratiæ ſanctificantis, per quàm Homo Deo ſacratur, ùt explicat *D.Thom. prima ſecundę quæſtionæ* 120.*art.*5.*in corpore*: *Sacramenta propriè dicuntur illa, quæ adhibentur Dei cultoribus ad quamdam conſecrationem, per quàm deputantur quodammodo ad cultum Dei*.

2 In Sacramenti definitione aſſignanda diſcrepant DD. aliqui enim cùm *D. Auguſtino lib.* 10. *de Civitate Dei*, *&* *D.Thom.* 3. *part. quæſt.* 60. *art.* 2. *in corpore* illud definiunt = *Rei ſacræ ſignum, vel inviſibilis gra-*
3 *tiæ forma* = Alii cùm *Hugone de San. Victore lib.*1.*parte* 9. *cap.* 2. = *corporale elementum foris ſenſibilitèr propoſitum ex ſimilitudine repræſentans, & ex inſtitutione ſignificans, & continens ſpiritualem gratiam*. Alii cùm

4 cùm *Magiſtr. in 4. diſt. 1.* quem ſequitur *Vaſqu. 3.*
part. quæſt. 60. diſp. 128. cap. 1. num. 26. = *Inviſibilis*
gratiæ viſibilis forma, itaut imaginem gerat, & cauſa
5 *exiſtat*. Alia cùm *Cathechiſmo S. Pii V. de Sacram. in*
commun. cui adhæret *Bellarm. lib. 1. de Sacram. c. 11.*
Res ſenſibus ſubiecta, quæ ex Dei inſtitutione, ſanctitatis,
& Juſtitiæ, tùm ſignificandæ, tùm efficiendæ vim habet
6 Alii cùm *Bonac. de Sacram. diſp. 1. quæſt. 1. num. 1.* =
Signum ſacrum non ſolum ſignificans, verùm etiam in-
fallibilitèr efficiens rem ſacram ſanctificantem homines.
7 Alii demùm recentiores Theologi dicunt Sacramen-
tum eſſe = *Signum ſenſibile à Chriſto Domino ſtabilitèr*
inſtitutum collativum ſanctificantis gratiæ ex opere ope-
rato, cuicumque obicem non ponenti.

8 Omiſſis tamèn aliis Sacramenti definitionibus, & relicta cujcumque facultate eligendi ex hactenùs recenſitis eam, quæ magìs arriſerit, aliqua afferam ad Sacramenti eſſentiam apprimè conducentia, & quidèm irrefragabilia apud omnes Theologos æquè, ac Canoniſtas.

9 Certùm igitùr primò eſt Sacramentum debere eſſe ſignum ſenſibile. Rationem reddit aurea os aureum *Chriſoſtomi homilia 83. in Matth.* = *Si enim incorporeus eſſes, nudè ipſa dona incorporea tibi tradidiſſet, ſed quià corpori conjuncta eſt Anima tua, ideò rebus ſenſibilibus tibi intelligenda traduntur*.

10 Certùm eſt ſecundò debere eſſe ſignum ſenſibile inviſibilis gratiæ, quià non omne ſignum rei Sacræ eſt Sacramentum, ſed illud tantùm, quo ſignificatur perfecta hominis ſanctitas, quæ eſt gratia juſtificans. Quare excluduntur ob hoc à Sacramenti eſſentia, omnia ſacramentalia, ùt aqua benedicta, prima tonſura &c. utpotè ea, quæ inſtituta non ſunt ad ſigni-

Digitized by Google

candam perfectam hominis juſtitiam. Ità *D. Thom. cit. art. ſecundo, ac tertium*.

11 Certùm eſt tertiò Sacramentum eſſe inſtitutum ad Populum Dei ſanctificandum: de ratione enìm Sacramenti eſt uſu ſuo ſanctificare fideles, eoſque ab omnibus non ipſis ſpeciali nota diſtinguere. Quamobrem Sacrificium non eſt Sacramentum, eſtò etiam ipſum ſit ſignum gratiæ per Chriſtum conferendæ, nàm propriè inſtitutum eſt ad colendum Deum, ejuſque ſublime dominium recognoſcendum, non verò ad homines ſanctificandos.

12 Certùm eſt quartò Sacramentum eſſe divinitùs inſtitutum; nam ad mentem *D. Thomæ loco citato quæſt. 64. art. 2.* Sacramentum debet eſſe ſignum gratiæ ſanctificantis, ſed nulla res ex natura ſua poteſt eſſe ſignum hujuſmodi ergò debet eſſe tale ex impoſitione Dei; cujus ſoliùs cùm proprium ſit eſſe Authorem gratiæ, proprium etiàm ejuſdem tantùm eſt ſigna inſtituere gratiæ à ſe conferendæ.

13 Infer ex dictis, ad rationem proprii Sacramenti requiri, quòd ſit ſignum permanens, & habens ſtabilem inſtitutionem, & uſum pro ſtatu dura ntiæ Eccleſiæ, cùm aſſumatur ùt medium ad ſanctificandos fideles, illoſque diſtinguendos à Cultoribus Deorum mendacium, quòd fieri non poſſet ſigno aliquo tranſeunte,

14 ùt DD. paſſim aſſerunt. Quare linguæ igneæ, quæ die Pentecoſtes, ignitis Cęnaculi Incolis largitæ fuerunt, vel inſuflatio Chriſti in Apoſtolos dicentis *Joannis cap. 20. = Accipite Spiritum Sanctum*, licèt fuerint ſigna gratiæ homines Sanctificantis, non debent tamèn dici Sacramenta, cum non fuerint ſigna ſtabilia, ſed tranſeuntia, juxtà *Caſtropal. part. 4. oper. mor. tract. 18. punct. 1. num. 2.*

Dictin-

15 Diſtinguuntur Sacramenta novę legis à Sacramentis veteris legis in hoc, quòd Sacramenta illa vetera gratiam, ſeù Animæ ſanctitatem figurabant, & ſignificabant tantùm; novæ autèm legis Sacramenta, non tantùm ſignificant gratiam, ſed eam etiàm operantur, & conferunt, modò ſuſcipiens non ponat obicem gratiæ recipiendæ *Tridentinum Seſſ.* 7. *de Sacramentis in genere Can.* 6. *&* 7.

16 Hanc autem gratiam cõferunt Sacramenta novę legis ex opere operato, ùt definivit *idem Tridentinum ibidem Can.*8. ideſt, hoc ipſo, quod opus illud ſacrum juxtà Chriſti inſtitutionem peractum ſit, abſquè ulla dependentia ex merito, aut pia diſpoſitione, ſeù conferentis, ſeù ſuſcipientis, modo obex non ponatur,

17 ſemper gratia ſanctificans confertur; quod ſecùs erat in Sacramentis veteris legis v. g. in Circumciſione, quę conferebat gratiam virtute fidei in Chriſtum Salvatorem, adeoque ex opere operantis, videlicet ſuſcipientis Sacramentum, qui ſi erat adultus debebat credere in Chriſtum Salvatorem adventurum, vel ſi erat parvulus ſufficiebat bona volunta ejus, qui curam parvuli ſuſcipiebat, eum Deo in fide Chriſti offerentis, ùt optimè docet *D. Thom.* 3. *part. quæſt.* 70. *art.* 4. Quare *Apoſtolus cap.* 4. *ad Galatas*, circumciſionem, aliaſque veteres cœremonias legales vocat *infirma*, *&* *egena elementa*; non aliam ob cauſam, niſi quià ex ſe, ſive ex opere proprio nullam habebant vim juſtificandi.

18 Quodlibet Sacramentum ſuas habet cauſas intrinſecas, materiam ſcilicet, & formam; materiam conſiſtentem in quibuſdam rebus ſenſibilibus ex divina inſtitutione aſſumptis ad gratiam ſignificandam; formam verò comprehenſam quibuſdam verbis, quę jun-

gun-

guntur dictis rebus. Quare inquit *Auguſtinus in Ca-*
non. detrahe 1. *quæſt.* 1. = *Accedit verbum ad elementum,*
& fit Sacramentum. Sed de his fuſiùs dicam, cùm
agam de ſingulis Sacramentis.

19 Quòd ſi quęratur; quę ſit cauſa efficiens Sacra-
mentorum.

20 Dico primò, primarium illorum inſtitutorem fuiſſe
ſolùm Deum, utpotè illum, qui ſolus eſt Author gra-
tię ſanctificantis, quę per Sacramenta confęrtur; ità
D. Thom. 3. *part. quæſt.*64. *art.* 2.

21 Dico ſecundò. Chriſtus, qua homo poteſt etiàm
22 pluribus modis dici Author Sacramentorum. Primò
quià eorum operationem, & inſtitutionem nobis ex
condigno promeruit; quare dicuntur Sacramenta flu-
xiſſe e latere Chriſti in Cruce pendentis, juxtà illud
Iſaię = *Haurietis aquas in gaudio de Fontibus Salvato-*
23 *ris*. Secundò, quià ipſe erat Interpres conſtitutus,
divinę Sacramentorum inſtitutionis, juxtà illud *Apo-*
ſtoli cap. 1. *ad Hæbreos* = *Multis modis olim loquens*
Deus Patribus in Prophetis, noviſſimè diebus iſtis locu-
24 *tus eſt nobis in Filio*. Tertiò, quià Chriſtus ratione
unionis hypoſtaticę habuit poteſtatem Excellentię,
per quàm tùm leges ferre, tùm gratiam dare, tùm
promittere,& conſequentèr Sacramenta inſtituere po-
tuit, juxtà illud *Matth. cap. ultimo* = *Data eſt mihi*
omnis poteſtas in Cælo, & in Terra. Quare Chriſtum
Dominum Sacramentorum inſtitutorem eſſe definit
*Concil. Trid. ſeſſ.*7. *de Sacramentis in genere Can.*1.

25 Sed quoniàm Sacramenta abſquè Miniſtro non
conferentur, ideò inquirunt DD. communitèr, quę
intentio requiratur in Miniſtro Sacramentorum, ùt
Sacramentum validè conferatur.

26 Hujus nodi ſolutioni pręmitto, primò Intentionem

nihil

nihil aliud eſſe, quàm voluntatem aliquid operandi.

27 Præmitto ſecundò, dividi intentionem in actualem, virtualem, & habitualem, ſeù interpretativam. Actualis eſt præſens rationalis voluntas faciendi quod facis Virtualis eſt, cùm actualis non eſt actu, ab aliquam mentis evagationem, ſed paulò antè adfuit, & in ejus virtute ſit operatio. Habitualis verò eſt, quæ ſupponit præcedentem actualem non retractatam per actum oppoſitum, ſed non perſeverantem virtualitèr in actione inchoata.

28 Præmitto tertiò. Intentionem tam actualem, quàm virtualem dividi in explicitam, & implicitam. Explicita eſt illa intentio, quæ eſt juxtà ſuam ſpecificam rationem, ùt ſi baptizaturus habeam hanc intentionem mente *Volo conferre Sacramentum baptiſmi*. Implicita è contra eſt intentio reſidens in mente alicujus ſecundùm generalem, & confuſam rationem; v. g. *volo baptizando facere, quod fieri ſolet in Eccleſia*.

29 His præmiſſis ſit prima Concluſio. Ad valorem Sacramenti in ejus Miniſtro requiritur ſaltèm intentio implicita, puta, quod velit facere id, quod facit Eccleſia *Tridentinum ſeſſ. 7. citat. Can. 11.*

30 Secunda Concluſio. Et ſi ad Sacramenti dignam miniſtrationem decens ſit, quod Miniſter intentionem habeat actualem, tamèn hæc ad Sacramenti valorem neceſſariò non requiritur, ſed ſufficit virtualis: v. g. habens propoſitum ſacrificandi ad Eccleſiam accedo, ſacras veſtes induo, & Altare peto, ſed in prolatione formæ, applicatione materiæ, & intèr ſacrificandum diſtrahor ad alia, adhuc Sacramentum perficitur. Ratio eſt, quià Chriſtus non majorem mentis attentionem, & intentionem requiſivit ad Sacramentorum adminiſtrationem, quàm ad alia humana negocia requi-

requiri ſoleat; ſed virtualis intentio ſufficit, ùt actio aliqua modo humano fieri dicatur, quando illa fuit imperata ex libero actu voluntatis, qui in virtute adhunc perſeveret; ergo illa etiam ſufficit ad validum miniſterium Sacramentorum. Ità *Scotus in* 4. *diſtinct.* 6. *quæſt.* 6.

31 Tertia Concluſio. Intentio merè habitualis non ſufficit ad validam miniſtrationem Sacramenti. Ità *Scotus ibidem*, *&* *DD. paſſim*. Ideòque, ſi aliquis habuit propoſitum baptizandi aliquem, ſed immemor talis propoſiti nec actu, nec virtute permanentis, ſed tantùm non revocati, aliquem aqua abluit cum prolatione verborum, Sacramentum non conficit, quià hæc intentio poteſt etiam reperiri in ebrio, vel dormiente, & actio miniſtrantis Sacramentum debet eſſe propriè humana, qualis reperiri nequit in ebrio, vel dormiente, utpotè illis, qui non ſunt in tali ſtatu, in quo actiones ſuas dirigere, & cùm libertate exercere queant.

32 Ultima concluſio. Ad Sacramenti valorem non ſufficit intentio ſub conditione pendente in futurum; puta ſi abſolvas aliquem à peccatis ſub conditione *ſi Concubinam Domo ejecerit*; quià non eſt in poteſtate Miniſtri ſuſpendere effectum Sacramenti poſita ejus materia, & forma, & ex alia parte, non poteſt habere intentionem conficiendi Sacramentum tempore, quo nec eſt materia illius, nec forma; ſed tempore, quo purificatur conditio, non eſt neque Sacramenti materia, neque forma, quià nec verba abſolutionis proferuntur, nec pœnitens ſua confitetur peccata, ergo non poteſt illo tempore eſſe intentio conficiendi Sacramentum Pœnitentiæ. Ità *Layman lib.* 5. *Theol. Moral. tract.* 1. *cap.* 5. *num* 13.

Cœte-

33 Cœterum ſi conditio conferatur in tempus præſens, aut præteritum, v. g. ſi dicatur *Baptizo te ſi non fuiſti baptizatus*, vel *abſolvo te ſi capax es*, aut eſt actu, vel fuit conditio, & Sacramentum eſt validè collatum; aut conditio nec fuit, nec eſt, & Sacramentum non valet; quià in his caſibus intentio per appoſitionem dictæ conditionis non ſuſpenditur, ſed tranſit illicò in abſolutam, & efficacem. Ità *Layman. d. num.* 13. §. *Corollarium*.

34 Quamvis autèm ad Sacramenti valorem non ſufficiat in Miniſtro intentio habitualis, ſufficit tamèn ſi ea adſit in ſuſcipiente, dummodò hic ſit adultus, nàm amentes, & parvuli, Sacramenta, quæ ſuſcipere poſſunt, ſuſcipiunt in fide, ac voluntate Chriſti, & Eccleſiæ. Ità *S. Thom.* 3. *part. quæſt.* 68. *art.* 7.

35 Septem autèm ſunt novæ legis Sacramenta à Chriſto Domino inſtituta, ùt definivit *Tridentinum ſeſſ.* 7. *de Sacramentis in genere Can.* 1. videlicet *Baptiſmus, Confirmatio, Euchariſtia, Pœnitentia, Extrema Unctio, Ordo, & Matrimonium*.

36 Ex his Sacramentis *Baptiſmus*, *& Pœnitentia* dicuntur Sacramenta mortuorum, eo quià per ſe inſtituta ſint ad conferendam primam gratiam, ſupponentia animam ea recipientem gratia ſanctificante carentem, & per conſequens mortuam. Reliqua autèm dicuntur Sacramenta vivorum, utpotè inſtituta non ad conferendam primam, ſed ſecundam gratiam, ſeù veriùs gratiæ jam præexiſtentis augumentum.

37 Rursùs quodlibet Sacramentum confert ſpecialia auxilia gratiæ actualis ordinata ad conſequendum finem cujuslibet Sacramenti. Quare inquit *D. Tho.* 3. *part. quæſt.* 62. *art.* 2. *ad* 3. quod gratia ſanctificans ſit ſpecialis in ſingulis Sacramentis, ideſt quatenùs

Digitized by Google

conſideratur gratia una cùm divinis auxiliis, quæ quodvis Sacramentum propria habet pro conſequendo ſpeciali fine, quem intendit.

38 Ex hujuſmodi Sacramentis aliqua ſemel collata repeti nequeunt, eo quià dicuntur imprimere characterem in anima perpetuò manentem, imò vigentem etiàm in animabus defunctorum damnatorum, & beatorum.

39 Qui character nihil aliud eſt, quam *ſignum ſpirituale, & ſupernaturale noſtris animabus impreſſum, quo Chriſto tanquam Duci, aut Paſtori conſecramur*. Et hæc

40 Sacramenta characterem indelebilem imprimentia, tria ſunt; Baptiſmum, Confirmatio, & Ordo, juxtà

41 *Tridentinum Seſſ. 7. citata Can. 9.* Quare ſi Sacerdos mortuus, Divinæ Omnipotentiæ juſſu ad vitæ lumen denuò hauriendum rediret, non eſſet iterùm baptizandus, confirmandus, vel ordinandus, juxtà *Caſtropalaum part. 4. operis moralis numer. 1. diſput. unica puncto 11. in fine*.

42 Quod ſi pro præſentis tituli coronide quæratur: quomodò ad ſalutem æternam conſequendam Sacramenta ſint neceſſaria.

43 Reſpondeo diſtinguendam eſſe duplicem neceſſitatem medii unam, alteram præcepti. Illud dicitur neceſſarium neceſſitate præcepti, quod ſi omittatur ex ignorantia, vel impotentia, non impedit quin ſalus æterna queat obtineri. E contrà autèm neceſſarium

44 neceſſitate medii eſt id, quo etiàm ob impotentiam, vel ignorantiam omiſſo, adhuc ſalus æterna obtineri non poteſt. Jam verò, quam ex geminis his neceſſitatibus quodlibet Sacramentum habeat, videbis infrà, cum de uno quoque Sacramento ſermo erit.

TITU-

TITULUS II.

De Sacramento Baptiſmi.

1 BAPTISMUS greca vox, *Immerſionem* latinè ſignificat; quare definitur in *Cathechiſmo Romano part.2.cap.* 1. = *Sacramentum regenerationis per aquam in verbo*.

2 *Sacramentum* eſt genus in hac definitione, cum ratione illius nominis cum aliis omnibus Sacramentis Baptiſmus confundatur.

3 Dicitur ſecundò *regenerationis*: Chriſtus enim de hoc Sacramento loquens *cap.* 3. *Joannis* inquit = *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt intrare in Regnum Dei*: ideſt niſi poſtquam quis primò corporalitèr natus eſt in peccato, denuò naſcatur per aquam, & Spiritus Sancti virtutem, non poteſt intrare in Regnum Dei.

4 Quamombrem in definitione Baptiſmi adduntur poſtrema verba *per aquam in verbo*, quorum primum nempè *per aquam*, Baptiſmi materiam, alterum, ſcilicet ly *in verbo*, formam ejuſdem importat, quorum utraque Divinæ ope virtutis ſpiritualem effectum, & gratiam largitur, juxtà illud *Apoſtoli cap.* 5. *ad Epheſios* = *Chriſtus dilexit Eccleſiam mundans lavacro Aquæ in verbo vitæ*.

5 De fide eſt, Sacramentum hoc, ùt cœtera alia, à Chriſto Domino fuiſſe inſtitutum, ùt definit *Tridentinum Seſſ.* 7. *de Sacramentis in genere Can.* 1. De tempore autem, quo Chriſtus baptiſmum inſtituerit va-

Digitized by Google

ria varii ſentiunt DD. ſed probabilior ſententia eſt. Chriſtum inſtituiſſe baptiſmum antè paſſionem ſuam. Ità *D. Thom.* 3. *part. quæſt.* 66. *art.* 2. *D. Auguſtinus tract.* 15. *in Joannem in principio*. Probatur. Baptiſmus Chriſti adminiſtratus fuit ab ejus diſcipulis antè paſſionem; ergò antè ipſam fuit inſtitutus. Probatur antecedens. *Cap.* 3. *Joannis* dicitur = *Poſt hæc venit Jeſus, & Diſcipuli ejus in terram Judæam, & illic commorabatur cum eis, & baptizabat*. Quamquam. ùt explicatur *in cap.* 4. *ejuſdem Joannis*, Jeſus non baptizaret per ſe, ſed per diſcipulos ſuos, ſed diſcipuli non Baptizabant baptiſmo Joannis; ergò Baptiſmo Chriſti. Minor, in qua tota eſt difficultas, probatur. Si diſcipuli Chriſti baptizaſſent non baptiſmo Chriſti, ſed Joannis, abſquè cauſa indignati fuiſſent diſcipuli Joannis dicentes illi *eodem cap.* 3. *Joannis* = *Rabbi, qui erat tecum trans Jordanem, cui tu teſtimonium perhibuiſti, ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum* = quibus reſpondit Joannes, ſe non eſſe Chriſtum, ſed illo minorem, & ſe oportere minui, & Chriſti gloriam creſcere &c.

6 Ulteriùs probatur noſtra Concluſio. Quià credibile eſt Apoſtolos antè paſſionem Chriſti verò baptiſmi Sacramento fuiſſe baptizatos; inveroſimile enim eſt Chriſtum Dominum in ultima Cœna Apoſtolis nondum baptizatis Euchariſtiam contuliſſe, eoſque nondum baptizatos in Sacerdotes conſecraſſe, cum baptiſmum ex Divina inſtitutione ſit janua omnium Sacramentorum.

7 Sed oppones. Baptiſmus ex ſe virtutem habet januam Cœlorum aperiendi, ſed illa aperta non fuit, niſi poſtquam Chriſtus ſua morte integrè ſatisfecit debito noſtrorum criminum, ergò antè hanc plenam ſatisfa-

ſatisfactionem baptiſmus non fuit inſtitutus.

8 Reſpondeo. Quod etiàm ſi moriens antè mortem Chriſti, licèt fuiſſet baptiſmo Chriſti baptizatus, non illicò perveniret ad Regna Cœlorum, hoc proveniebat, eo quià Divina ordinatione ſtatutum erat, nemini Cœlum eſſe reſerandum, quouſque Chriſtus ſuis pœnis noſtras culpas integrè deleviſſet, non autèm oriebatur hæc æternæ hæreditatis privatio, eo quià baptiſmus collatus gratiam non contuliſſet, quià illam utique etiàm antè paſſionem Domini conferebat, tùm in virtute meritorum infinitorum Chriſti, quæ ejus inſtitutionem præceſſerant, tùm in virtute futurorum meritorum ſuæ proximæ paſſionis. Ità *Caſtropalaus part. 4. citato tract. 19. diſput. unica punct. 2. num. 3. in fin.*

9 Probabiliùs igitùr eſt, Chriſtum Dominum eo die, quo fuit à Joanne in Jordane baptizatus inſtituiſſe Sacramentum Baptiſmi, ut ſentiunt *SS. Ambroſius, Auguſtinus, Hieronymus, aliique PP.* quos plena manu affert *Vaſquez 3. part. quæſt. 66. art. 2. diſp. 140. cap. 6.* dicunt enim paſſim dicti SS. PP. & DD. quod Chriſtus Dominus ſuo baptiſmo aquas Jordanis, & in ipſo reliquas omnes ſanctificavit, & conſecravit, ut in lavacrum peccatorum noſtrorum aſſumerentur, ſed hoc facere non poterat, niſi inſtituendo baptiſmum; ergò tunc Chriſtus baptiſmum inſtituit.

10 Quod ſi quæras, in quo differat baptiſmus Chriſti à baptiſmo, quem conferre ſolebat Joannes Præcurſor illius.

11 Reſpondeo differre in pluribus. Primò quià baptiſmus Joannis non fuit inſtitutus in Sacramentum, & cœremoniam ſtabilem ad homines ſanctificandos, ùt fuit inſtitutus baptiſmus Chriſti, adeòque hoc inſti-

tuto, & promulgato ille ceſſavit, cum eſſet mera di-
12 ſpoſitio, & figura noſtri baptiſmi. Secundò, quià bap-
tiſmus Joannis non conferebatur ſub invocatione San-
ctiſſimæ Trinitatis, quemadmodum noſter eſt confe-
13 rendus. Tertiò, quià ille non conferebat gratiam ex
opere operato, nec imprimebat characterem, quæ
omnia tamèn baptiſmus Chriſti operatur. Quamo-
brem baptizati Baptiſmo Joannis, utpotè inſufficien-
te ad ſalutem, opus habuerunt denuò baptizari Bap-
14 tiſmo Chriſti. Quartò, quia Baptiſmus Joannis pote-
rat à ſolo Joanne miniſtrari; noſter autem poteſt à
quolibet miniſtrari. Et ultimò, quia Baptiſmus Jo-
annis non fuit neceſſarius neceſſitate medii, & fortè
neque præcepti, ſed tantùm poſitus in conſilio; quod
ſecùs eſt de noſtro Baptiſmo, ut infrà videbis.
15 Sacramentum igitùr Baptiſmi (ut ad rem veniam)
ſicùt quodvis aliud Sacramentum, duplicem habet
materiam, remotam unam, alteram proximam.
16 Materia remota eſt aqua elementaris, ſeù ſimplex,
juxtà illud *Joannis cap.* 3. = *Niſi quis renatus fuerit
ex aqua &c.* quemadmodum definivit *Tridentinum
17 ſeſſ.* 7. *Canon.* 2. *de Baptiſmo*, turbida interìm ſit, ca-
lida, pluvia, ex glacie, nive, vel grandine reſoluta
nihil intereſt, quià mutatio hujuſmodi accidentalis
aquæ non facit quin illa exiſtimetur aqua uſualis, &
18 elementaris. Ratio inſtitutionis aquæ in materiam
remotam Baptiſmi eſt, tùm facillimus illius uſus ob
ejus copiam, tùm aptitudo maxima ad internum la-
vacrum, & renovationem deſignandam, teſte *D.
Thom.* 1. *part. quæſt.* 66. *artic.* 3. & 4. *in corpore*.
19 Hinc aquæ arte factæ, ùt roſacea, vel quæ ex ſale
reſolvitur, lacrimæ, ſaliva, urina, cereviſia, juſcu-
lum &c. non ſunt materia Baptiſmi ùt colligitur *ex
cap.*

Digitized by Google

cap. penult. de Baptiſmo . Ratio eſt , quià liquores hujuſmodi , ſecundùm communem hominum ſententiam , non ſunt aqua elementaris , & uſualis .

20 Materia proxima Baptiſmi eſt ablutio per aquam . Probatur. Illa eſt materia proxima, & moralitèr conſtitutiva Sacramenti , quæ per verborum ſignificationem determinatur; ſed verborum forma, & ſignificatio determinat , non ipſam aquam ſecundùm ſe , ſed ablutionem per aquam ; ergò &c. Ità *D. Thom. citata quæſt.* 66. *art.* 1.

21 Debet autèm hac ablutione aſpergi notabilitèr aliqua pars humani corporis , & quidèm pars præcipua,

22 puta caput , pectus &c. licèt in caſu neceſſitatis poſſit validè baptiſmus conferri per ſolam ablutionem digiti pedis, vel manus : v. g. ſi Infans , cui periculum mortis immineat , ſolam partem hujuſmodi exeruerit ; quo tamèn caſu, remoto periculo , ſub conditione repetendus erit Baptiſmus , juxtà *Layman. lib.* 5. *Theologiæ moral. tract.* 2. *cap.* 3. *num.* 3.

23 Forma Baptiſmi hæc eſt . *Ego te baptizo in nomine Patris , & Filii , & Spiritus Sancti Amen* = Sic enìm juſſit Apoſtolis Chriſtus *Matthæi cap.* 28. = *Baptizantes eos in nomine Patris , & Filii , & Spiritus Sancti* .

24 Quare vides in forma Baptiſmi eſſe plura exprimenda , perſonam ſcilicèt baptizantem per ly *Ego* : baptizandam per ly *te*: actum baptizandi per ly *baptizo*: unitatem Divinæ eſſentiæ per ly *in nomine* : & Trinitatem perſonarum per reliqua verba .

25 Et quamvis in Eccleſia orientali Græci ità baptizent = *Baptizetur Servus Chriſti in nomine Patris , & Filii , & Spiritus Sancti* = tamèn implicitè ſaltèm perſonam baptizantem deſignant ; ſignificatur enìm per illa verba = *Baptizet te Chriſtus per me in nomine Patris* .

Digitized by Google

Patris, *& Filii*, *& Spiritus Sancti*; quia ly *in nomine* non poteſt referri ad Chriſtum, vel Deum; ineptè enim diceretur Chriſtum, vel Deum baptizare in authoritate Patris, Filii, & Spiritus Sancti, adeòque referri debet ad perſonam baptizantem tacitè ſubintelligendam, juxtà *Layman. loco citato cap.* 4. *num.* 2. §. *Quapropter*.

26 Cœterùm ſi mutatio dictæ formæ ſit accidentalis, licèt extrà caſum neceſſitatis reddat illicitum Baptiſmum, non tamèn reddit invalidum: v. g. ſi in forma latina proferenda omittatur pronomen *Ego*, vel ſi dicatur -- *Ego Jacobus te baptizo &c.* aut -- *Ego te baptizo in nomine Patris omnipotentis*, *Filii ejus unigeniti*, *& Spiritus Sancti Paracliti*, *& B. Virgo Maria te adjuvet*.

27 Quamvìs verò Baptiſma Sacramentum, unum ſit, nempè fluminis, huc uſquè explicatum, tamèn duo alia ſunt Baptiſmata analogicè dicta; nempe flaminis, & ſanguinis, eo quià gerant vices Sacramenti Baptiſmi, & ejus ſuppleant defectum, quoad remiſſionem criminum, & ſpiritualem renovationem.

28 Baptiſmus flaminis in illo dicitur eſſe, qui cum ſit impeditus Baptiſmum fluminis ſuſcipere, ejus flagrans deſiderio, elicit actum contritionis, & dilectionis Dei ſuper omnia.

29 Baptiſmum ſanguinis eſt Martyrium, quando ſcilicet quis proptèr Chriſtum, in fidei, charitatis, vel alteriùs virtutis defenſionem vitam amittit; & hoc baptiſmo ſanguinis etiàm Infantes baptizari poſſunt, cum ipſis etiàm mors in Chriſti odium poſſit inferri, quod ſufficit, ut Martyres dicantur, quemadmodum Martyrum ęque, ac Innocentum albo adſcripſit Eccleſia Infantes Herodis juſſu enecatos.
30 Imò ſi Infans in utero Ma-

Matris adhùc latens in odium Chriſti occidatur mar-
tyrio juſtificabitur, licèt in matris utero manens ne-
queat Baptiſmo fluminis ablui. Ità *Caſtropalaus par-
te 4. operis moralis tract.19. diſput. unica punct.14. §.1.
num. 1. in fine.*

31 Redeundo jàm ab Baptiſmum fluminis, dico illum
iterari non poſſe abſolutè, eo quià imprimat characte-
32 rem, ſed ſi dubitetur an fuerit validè collatum, vel in-
terìm ſit dubium jùris, vel facti, dummodo dubium ſit
rationabile, eſt repetendus baptiſmus ſub conditione
poſita *in cap.2.de Baptiſmo = Si baptizatus es, non te re-
baptizo; ſed ſi nondùm baptizatus es, Ego te baptizo in
nomine Patris &c.*

33 Subjectum Baptiſmi capax eſt ſolus homo viator
nondùm baptizatus tam parvulus, quam adultus;
cùm hac diſparitate, quod parvuli utpotè voluntatis
34 expertes baptizentur in fide parentum; adultus autèm
debuit habuiſſe ſaltèm voluntatem, & intentionem
habitualem ſuſcipiendi baptiſmum; quare cùm hæc
voluntas ſemel habita perſeverare cenſeatur etiàm in
amente, ebrio, & dormiente, etiàm hi validè bapti-
zari poſſunt *ad Text. in cap. majores §. Item quæritur
de baptiſmo.*

35 Inſuper ùt adultus ope baptiſmi gratiam ſanctifican-
tem, & remiſſionem omnium criminum, tàm peccati
originalis, quàm peccatorum actualium conſequatur,
debet eſſe benè diſpoſitus ad ſuſcipiendū baptiſmum,
ideſt debet habere fidem ſupernaturalem, juxtà *illud
Marci capite ultimo = Qui crediderit, & baptizatus
36 fuerit ſalvus erit =* Secundò debet elicere ſaltèm
actum attritionis, & doloris de peccatis commiſſis
actualibus, cùm propoſito ſervandi mandata Dei, &
legem Chriſti, juxtà illud *Act. Apoſtolic. = Pœni-*

tentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum. Ob
quàm rationem Joannes Baptiſta præparavit homines
ad Baptiſmum Chriſti ſuſcipiendum prædicando pœ-
nitentiam.

37 Sed quæres. Qua ratione Baptiſmus in nova lege ſit
neceſſarius hominibus ad obtinendam ſalutem.

38 Reſpondeo, quod parvulis, extrà caſum Martyrii,
Baptiſmus fluminis neceſſarius ſit neceſſitate medii
ſimpliciter. Ità *Tridentinum Seſſ. 5. in decreto de pec-*
39 *cato originali num.* 4. Adultis autèm, & ratione uten-
tibus Sacramentum Baptiſmi, vel in re, vel in voto
ſuſceptus, eſt omninò neceſſarius ad ſalutem obtinen-
dam, juxtà *idem Tridentinum Seſſ. 6. cap.* 4.

40 Miniſterium hujus Sacramenti ex vi ſuæ ordinatio-
nis competit ordinariè Epiſcopis in ſuis Diœceſibus,
& Parochis per communicationem Epiſcoporum; cæ-
terùm validè baptizare poteſt quivis homo ratione
præditus, vel ſit mas, vel fœmina, vel hæreticus,
dummodò habeat intentionem faciendi id, quod facit
Eccleſia *Canon. ſive hæreticus de conſecratione diſtin-
ctione* 4.

41 Verùm quidèm eſt, quod ſervandus ſit ordo, adhoc
ùt baptiſmus licitè conferatur, quòd ſcilicèt ſi ſit Sa-
cerdos præſens, ipſe ſit præferendus Diacono; Dia-
conus Subdiacono; Subdiaconus Clerico inferiori;
Clericus inferior; Laico; Vir fœminæ. Et fidelis ba-
ptizatus, alteri non baptizato, hæretico, vel Apoſta-
tæ. Ità *Paludanus in quartum diſput. 5. quæſt. 2. art.* 1.
concluſ. 3. *Rodriqu. in Summ. cap.* 25. *de Baptiſmo con-
cluſ.* 1. *Bellarm. de baptiſm. lib.* 1. *cap.* 7. *Graff.* 2. *part.
lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 2. *Filliuc. tract.* 2. *cap.* 4. *quæſt.* 1.
num. 68. *& quæſt.* 6. *num.* 82. *Vaſqu.* 3. *part. diſputat.* 147.
cap. 5. *num.* 34. & 35.

Roga-

42 **Rogabis ulteriùs: An plures poſſint ſimùl eumdem baptizare.**

43 Ut quæſito ſatisfaciam, ſuppono plures poſſe concurrere ad baptizandum eumdem, tanquam cauſas totales, itaùt uterque tàm materiam, quàm formam applicet, habeatque abſolutam baptizandi intentionem,& poſſe plures concurrere ad eumdem baptizandum, gerendo ſe per modum cauſarum partialium, vel eo quià dùm unus aquam effundit, alter verba proferat, & materiam adhibeat, alius reliqua formæ verba pronunciet; vel demum quià uterque ſimul corpus abluat, & integram formam proferat, ſed habeat unuſquiſque intentionem non baptizandi per ſe abſolutè, & ſingillatìm, ſed dependentèr ab alterius concurſu, & intentione.

44 His præmiſſis dico primò; ſi plures concurrant, ùt cauſæ totales ad baptizandum, unuſquiſque Sacramentum conficiet; quià unuſquiſque ponit omnia requiſita ad illud conficiendum. Quòd ſi ex illis unus citiùs alio materiam adhibeat, & formam abſolvat, ille ſolus baptizabit, non alii. Ità *D. Thom. 3. part. quæſt. 67. art. 6. & Layman. lib. 5. tract. 2. cap. 7. ſub num. 5. verſ. his poſitis*.

45 Dico ſecundò;ſi plures ad baptizandum concurrant ùt cauſæ partiales, nihil efficient. Probatur;quià ex inſtitutione Chriſti verba formæ baptiſmi *Ego te baptizo*, habent hunc ſenſum, ideſt = *Ego tanquam Dei, Chriſtique Inſtrumentum per hanc meam ſenſibilem actionem abſolutè confero tibi Sacramentum Baptiſmi* = Hoc autèm non eſſet verùm ſi plures baptizarent ùt cauſæ partiales; nemò enim ex illis verè baptizaret, ſed conficeret Sacramentum Baptiſmi ſecundùm quid, quod fieri non debet. Et idem hoc ratiocinium procedit

Digitized by Google

cedit eodem modo in ſimilibus Sacramentis, ùt Confirmatione, Abſolutione Sacramentali &c. Ità *D.Tho. loco citato. Valent. tom.* 4. *diſp.* 4. *quæſt.* 2. *punct.* 2. *Filliuc. loco citato cap.* 4. *quæſt.* 5. *num.* 76. *Comitol. lib.* 1. *quæſt.* 11. *Coninch.* 3. *part. quæſt.* 67. *art.* 6. *dub.* 2. *Chamerota de baptiſm. cap.* 3. *dub.* 3. *Henriqu. lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 2.

TITULUS III.

De Sacramento Confirmationis.

1 CONFIRMATIO ità dicta eo quià baptizatos confirmet in fide recepta. Deſcribi poteſt, quod ſit *Sacramentum novæ Legis, quod baptizatis confertur per ſacri Chriſmatis in fronte unctionem.*

2 De fide certùm eſt Sacramentum hoc eſſe à Chriſto Domino inſtitutum, ſed ſi quæſtio fiat de tempore inſtitutionis, dico probabile admodùm eſſe materiam, & formam hujus Sacramenti inſtituiſſe Jeſum in ultima cœna, quando promiſit Apoſtolis futurum adventum Spiritus Sancti, eoſque edocuiſſe circà modum hoc Sacramentum adminiſtrandi; juxtà *San. Fabianum Pontificem Epiſtola ſecunda cap.* 1. ob quam cauſam forſan die Cœnæ Domini, & non alio, Chriſma conſecratur.
3 Quià tamèn Sacramentum perfectum non ex ſola materia, & forma, ſed etiàm Miniſtro conſtat, fuit perfectè hoc Sacramentum inſtitutum *Joannis capite* 20. quando Chriſtus poſt reſurrectionem ſuam conſtituit Apoſtolos in Epiſcopos deditque

que illis facultatem adminiſtrandi Sacramentum Confirmationis, inquiens = *ſicut miſit me Pater, & ego mitto vos.* Ità *Coninch. loco citato quæſt.7.artic.1. nu. 23. & Filliuc. tract. 3. cap.1. quæſt.2. num. 6.*

4 Materia remota hujus Sacramenti, eſt Chriſma, ideſt compoſitum ex oleo, & balſamo ab Epiſcopo benedictum. Ità docet *Concilium Florentinum in decreto*
5 *Eugenii §. Secundum Sacramentum.* Materia autèm proxima, eſt unctio Chriſmatis in fronte facta manu Epiſcopi in Crucis figuram. Rationem reddit his verbis *dictum Concilium Florentinum = Ideò in fronte, ubi verecundiæ ſedes eſt, confirmandus inungitur, ne Chriſti nomen confiteri erubeſcat, & præcipuè Crucem ejus, quæ Judæis eſt ſcandalum, Gentibus autèm ſtultitia, propter quòd ſigno Crucis ſignatur.*

6 Forma hujus Sacramenti ex praxi, ac traditione Eccleſiæ, & dicto Concilio Florentino eſt hæc = *Signo te Signo Crucis, & confirmo te Chriſmate ſalutis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen.*

7 Subjectum Confirmationis capax eſt omnis & ſolus homo baptizatus; quomodo enìm qui non eſt per baptiſmum in Eccleſia genitus ſtatum perfectionem gratiæ aſſequi valeat?

8 Verùm quidèm eſt, quod ad convenientèr ſuſcipiendum hoc Sacramentum requìratur in ſuſcipiente uſus rationis, niſi tamèn alicujus Diœceſis oppoſita conſuetudo contrarium ſuadeat, tùm ad majorem Sacramento reverentiam exhibendam, tùm ùt ille, qui illud ſuſcipit, Sacramenti ſuſcepti queat recordari; *Henriqu. cap.5. num. 2. Coninch.. artic. 8. n.79. Petrus Ledeſm. de confirm. cap.7. verſ.5.*

9 Rogabis autèm, an amentibus largiendum ſit hoc Sacramentum.

Reſpon-

10 Reſpondeo affirmativè eodem modo, ac eos diximus baptizari poſſe, niſi tamèn conſtet illos alicui mortali peccato obnoxios in amentiam incidiſſe, vel niſi ſit ſpes uſum rationis fore recuperandum. Ità *Sanct. Thom.3.part. quæſt.62. art.8. S. Antonin.3. part. tit.14. cap.14. §. 5. Coninch loco citat. art. 8. num. 83. Layman. lib.5. Theol. moral. tract.3. cap. 5. num. 3.*

11 Licèt hoc Sacramentum non ſit ad ſalutem neceſſarium, tamèn ſi quis illud non ſuſciperet proptèr contemptum, & levem exiſtimationem ejuſdem, peccaret mortalitèr, juxtà *D. Thom. 3 part. quæſt. 72. art. 8. ad quartum*.

12 Miniſter Confirmationis eſt ſolus Epiſcopus. Rationem peracutè refert *D. Thom. dict. quæſt.32. art.11.* his verbis = *In quolibet opere ultima conſummatio ſupremæ Arti, aut Virtutis reſervatur, Fideles autèm Chriſti ſunt quoddam divinum opus &c. hoc autèm Confirmationis Sacramentum eſt quaſi ultima conſummatio Baptiſmi &c. & ideò collatio hujus Sacramenti Epiſcopis reſervatur, qui obtinent ſupremam in Eccleſia poteſtatem* = Quamvis tamèn idem Angelicus Doctor ibidem aſſerat, poſſe etiàm ſimplicem Presbyterum Sacramentum hoc miniſtrare ex commiſſione Summi Pontificis.

13 Sacramentum hactenùs explicatum duos parit effectus.

14 Primus eſt, augumentum gratiæ ſanctificantis, & auxilia gratiæ actualis ſpecialia ad Chriſti fidem tempore opportuno conſtantèr confitendam; Ità *D.Thom. loco cit. art. 1. & San. Antonin. 3. part. tit. 14. cap.14. num. 5. Ledeſm in ſumm. de confirmat. cap. 5. Valentia tom. 4. diſp. 5. quæſt. 1. punct. 4. Sylv. verbo confirmatio num. 7. & DD. omnes.*

Alter

15 Alter effectus Confirmationis eſt impreſſio characteris indelebilis, impedientis ne Sacramentum hoc ſemèl collatum poſſit iterari

TITULUS IV.

De Venerabili Euchariſtiæ Sacramento.

1 EUCHARISTIA nomen græcum exponitur à D.Thoma = *bona, ſeù ſalutaris gratia* = tùm quià continet in ſe Chriſtum vivum, verum Deum, ac Hominem fontem totius gratiæ, tùm quià animam gratia Divina replet,& æternæ gloriæ pignus tribuit.

2 Definitur autèm paſſim à DD. = *Sacramentum Corporis, & Sanguinis Chriſti ſub ſpeciebus panis, & vini ad ſpiritualem animarum refectionem divinitùs inſtitutum*.

3 Si hujus definitionis verba cernuè perpenderis,facilè inferes Sacramentum hoc intrinſecè conſtitui, tùm à ſpeciebus panis, & vini,tùm à Corpore, & Sanguine Chriſti Domini, juxtà *D.Tho.*3.*part. quæſt.* 73. *art.*1. *Bellarm. lib.*4. *de Euchariſt.cap.*6. *Suar. diſp.*42.*ſect.*4. & 5.*Peſant.*3.*part.qu.*73. *diſp.*2.*Nugn.*3.*part.quæſt.*73. *art.*1. *diffic.*1. *concluſ.*7.Probatur; nàm ſi non conſiſteret eſſentialitèr in ſpeciebus Euchariſticis non eſſe ſignum ſenſibile,ſi verò non conſtitueretur intrinſecè ex Corpore, & Sanguine Chriſti, non haberet rationem perfecti ſpiritualis convivii, cùm tamèn inquiat Chriſtus de-

ſtus de ſe ipſo *cap.6. Joannis = Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus* = Rurſus non poſſet adorari cultu latriæ, quo ſolus Deus colitur; cùm tamèn venerabile hoc Sacramentum dicto cultu adorandum aſſerat *Tridentinum Seſſ.13.cap.5.*

4 Inſtituit Sacramentum hoc divinum ipſemet Chriſtus in ultima Cœna illius noctis, qua morti traditus fuit, ùt nos à Satanæ captivitate redimeret, ùt patet *ex Matth. cap. 26. Marci cap.* 14. *&c.* poſt factam lotiònem pedum Diſcipulorum; ad oſtendendam puritatem, qua debemus accedere ad occurrendum cæleſti illi Sponſo, qui paſcitur inter lilia.

5 Materia proxima hujus Sacramenti ſunt panis triticeus, & uſualis, & vinum de vite progerminans, juxtà Concilium Florentinum in decreto Eugenii Papæ §. *Tertium eſt Sacramentum.*

6 Quare Milium, Hordeum, Avena &c. non ſunt materia hujus Sacramenti, quià non veniunt nomine panis uſitati, qui pro hominis victu communitèr adhiberi ſolet *Vaſquez in* 3. *part. diſp.* 70. *cap.* 1. 2. *&* 3. *Henriqu. lib.* 4. *cap.* 9. *num.* 1. *litera I. Valent. quæſt.* 2. *puncto* 1.

7 Inſuper, ùt ſit panis uſualis, & materia hujus Sacramenti debet eſſe ex triticea farina, & aqua elementari mixtus, atque ignis calore toſtus; quare ſi eſſet mixtus lacte, melle, oleo, vel aqua non elementari, puta roſacea non eſſet materia ſufficiens, quià differret in forma uſuali, & artificiali, à pane uſuali, juxtà *D.Tho. loc. cit. quæſt.* 74. *art.7. ad tertium, Graff.2.part. lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 8. *Sylv. verbo Euchariſtia num.* 3. *Armill. eodem Verbo num.* 6.

8 Nihil autèm refert an panis ſit azimus, an fermentatus, quià in utraque panis ſpecie hoc Sacramentum conſi-

conficitur, quamvis Sacerdos græcus peccet ſi, conſecret panem aximum,& Latinus,ſi fermentatum,quouſque intrà terminos ſuæ Eccleſiæ commorantur, eſtò interim urgeat neceſſitas præbendi Viaticum ægroto morienti. Conſule *D. Thom. loco citato art.* 4. *Sot. diſtin.* 9. *art.* 9. *Suar. diſp.* 44. *ſect.* 4. *concluſ.* 2. & fuſiùs *diſp.* 76. *ſect.* 5. *dub.* 2. *Filliuc. tract.* 4. *cap.* 3. *quæſt.* 7. *num.* 84.

9 Jàm verò vinum materia Calicis debet eſſe de vite, adeòque cùm uvæ, agreſta, & acetum non veniant nomine vini uſualis, non poteſt in illis validè Sacramentum hoc confici *Tolet. lib.* 1. *cap.* 15. *nu.* 3. *Azor.* 1. *part. lib.* 10. *cap.* 19. *Vaſqu.* 3. *part. diſp.* 75. *cap.* 11. *Filliuc. cap.* 3. *quæſt.* 7. *Valent. tot.* 4. *diſp.* 6. *quæſt.* 2. *punct.* 1. *verſ. nunc quoad alterum*.

10 Aqua verò, quæ vino conſecrando à Sacerdote miſceri ſolet, miſcenda eſt tantùm ex neceſſitate precepti Eccleſiaſtici ſub mortali obligantis,non autèm ex neceſſitate Sacramenti. Ità *S.Thom. dicta quæſt.* 74. *art.* 7. *Graff. loco citato num.* 17. *Vaſqu.* 2. *part. diſp.* 176. *cap.* 1. *Azor.* 1. *part. Inſtit. moral. lib.* 10. *cap.* 30. *quæſt.* 1. *Victoria de Euchar. concluſ.* 60. *Filliuc. tract.* 4. *cap.* 3. *quæſt.* 12. *Tolet. lib.* 2. *cap.* 15. *num.* 4. & juxtà *D. Cyprianum lib.* 2. *Epiſt.* 3. *ad Cæcilium = Cùm in Calice vino aqua miſcetur Chriſto populus adunatur* = Aquarum enim nomine Populi veniunt, ùt liquet *ex cap.* 17. *Apocalyſis*; Vino autèm exprimitur virtus, & Divinitas Chriſti, quæ etiàm cauſa videtur cùm in mixtione benedicatur tantùm à Sacerdote aqua, non etiàm vinum, quià homo ex ſe infirmus, per merita Chriſti, cui unitur, ſacratur, & confirmatur.

11 Ut autèm materia hujus Sacramenti conſecretur duo requiruntur. Primum, quod ſi ſacrificanti moraliter

litèr præſens; quod tùnc eſſe dicitur, cùm ſecundùm communem loquendi modum, & prudentis viri judicium poteſt deſignari per particulam *hic*, vel *hoc* Ità *Suar. diſp.* 45. *ſect.* 5. *Henriqu. lib.* 8. *cap.* 14. *Valent. tom.*4. *diſp.* 6. *quæſt.*2. *punct.*3. *Filliuc. loco citato cap.*3. *quæſt.* 3

12 Secundum,quod requiritur eſt,quod materia ſit determinata, & ùt talis à Sacerdote cognoſcatur; actiones enìm humanæ feruntur tantùm circà ſingularia determinata; Quare non conſecraret Presbyter,qui ex pluribus hoſtiis ſibi præſentibus intenderet tertiam, vel quintam partem indeterminatè conſecrare. Ità Abbas *in cap. ſi Sacerdos num.* 15. *de officio Ordinarii. Richar. in* 4. *diſt.* 10. *art.* 7. *quæſt.* 2. *Durand. diſt.* 11. *quæſt.*7. *Sylv. verbo Euchariſtia* 2. *quæſt.* 6. *Suar. loco cit. ſect.* 6.

13 Deveniendo jàm ad formam hujus Sacramenti, dico eſſentialem formam verborum; quibus Corpus Chriſti per ſe conficitur,eſſe = *Hoc eſtCorpus meum* = ſicuti formam verborum eſſentialem, qua Sanguis Chriſti per ſe conficitur conſiſtit in his tantùm verbis = *Hic eſt Calix Sanguinis mei*.

14 Quod ſi alia verba in Canone Miſſæ appoſita omittantur, gravitèr quidem peccatur, attamèn validum conficitur Sacramentum *Henriqu. lib.* 8. *cap.* 17. *nu.*2. *Bonac. de Sacramen. Euchar. diſp.* 4. *quæſt.* 3. *punct.* 2. *num.* 2. *& DD. paſſim.*

15 Adverte tamèn, quod licèt ex vi verborum in pane conſecrato adſit ſolùm Corpus Chriſti,& in vino ſolus Sanguis, per concomitantiam ſub accidentibus panis, ſimul cùm Corpore extat Sanguis, Anima, ac vita Chriſti Domini, & ſub ſpeciebus vini inſimul cùm Sanguine adeſt Corpus, Anima, & vita, quià Chriſtus præ-

poſtquam è mortuis ſurrexit, iterùm moriturus non eſt. Et in pane, ac vino conſecrato una cùm Corpore, & Sanguine Chriſti adeſt etiàm ejus Divinitas ob indiſſolubilem divini Verbi cùm Corpore, & Anima ejus hypoſtaticam unionem. Ità definivit *Tridentinum Seſſ.* 13. *cap.* 3.

16 Poteſt venerabile hoc Sacramentum tripliciter ſumi. Primò Sacramentalitèr, tantùm ſicuti ſumit, qui ſumit Sacramentum non item ejus effectum, qui eſt gratia ſanctificans, vel eo quià ſit conſcius ſibi peccati lethalis, vel nondum baptizatus.

17 Secundò ſumitur Euchariſtia ſpiritualitèr tantùm, quando ſcilicèt non ſumitur Sacramentum, ſed res; ſivè effectus illius, cùm nempè homo juſtus flagrat deſiderio comedendi panem hunc Angelorum.

18 Tertiò Euchariſtia ſumitur ſpiritualitèr, & ſacramentalitèr ſimul; quando ſcilicèt verè ſumitur Sacramentum, & effectus illius, nempe gratiæ ſanctificantis augumentum. *D.Thom. loco cit. quæſt.*80. *art.*1.2.*&* 3. *Valent. loco cit. quæſt.* 8. *punct.* 1. *Tolet. lib.* 2. *cap.* 29. *num.* 1. *Viva d. de Euchar. cap.* 15. *à num.* 24. *uſque ad* 30. *Ledeſma de Sacram. Euchar. cap.* 11. *verſ. prima concluſio, & alii communitèr poſt Triden. ſeſſion* 12. *cap.* 8.

19 Non debet autèm admitti ad Euchariſtiæ cibum aſſumendum, niſi qui prudentis Confeſſarii Judicio annos diſcretionis, & idoneitatis ad illud ſuſcipiendum attigiſſe cenſeatur, teſte *Layman. lib.* 5. *Theolog. moral. tract.* 4. *cap.*4. *num.*3. *in fine*.

20 Amentibus autem, qui ab infantia perpetuò fuerunt tales, præbenda non eſt Euchariſtia *S. Thom. quæſt.*80. *art.*9. *Sot. in* 4. *diſt.* 12. *quæſt.* 1. *art.* 9. *Henriqu. lib.*8. *cap.*42. *Sylv. verbo Euchariſtia* 3. *num.*7. *Armill. verbo*

Communio num. 25. *Filliuc. loco citato cap.* 7. *quæſt.* 2.
num. 187. *Suar. diſp.* 69. *ſect.* 3. *Chamerota de Euchar.*
cap. 9. *dub.* 7. illis autèm, qui poſt uſum rationis habi-
tum, in amentiam inciderint, danda eſt dumtaxat in
mortis articulo, ne abſquè ſacro diſcedant Viatico ii,
quos autèm conſtat, vel explicitè, vel implicitè divino
hoc cibo optaſſe nutriri *Text. eſt in Can. is qui* 26.
quæſt. 6. *cap. quod in te de pœnit. Filliuc. quæſt.* 2. *nu.* 188.
Suar. loco citato ſect. 2. *Ledeſma loco cit. cap.* 13. *verſ.*
octava concluſio.

21 Quæ tamèn ultima concluſio limitatur, primò in
caſu, quo conſtet peccati mortalis reum, in amen-
22 tiam incidiſſe. Secundò ſi abſque periculo irreveren-
23 tiæ nequeat amens communicari. Tertiò ſi ſit ſpes
amentem recepturum fore uſum rationis; Tunc enìm
tempus hoc eſt expectandum, ùt majore cum reveren-
tia Sacramentum hoc ſuſcipiatur; vide *Layman. ubi ſu-
pra num.* 4. §. *Excipe*.

24 A Dæmone autèm obſeſſis, cùm uſus rationis ex-
pertes non ſint, & ſi ante peccaverint conteri poſ-
ſint, & confiteri, poteſt Euchariſtia ultrò largiri ſi ab-
ſit irreverentiæ periculum: Secùs, ùt ait *Caſſianus
Collation. cap.* 30. = *magis ac magis inimicus inſul-
tabit obſeſſo, cùm eum à cæleſti medicina viderit ſegre-
gatum*.

25 Euchariſtia non eſt neceſſaria hominibus neceſſita-
te medii ad ſalutem æternam conſequendam *D. Thom.
loco citato quæſt.* 65. *art.* 4. Eſt autèm aliquando neceſ-
ſaria neceſſitate præcepti Divini, juxtà illud *Joannis
cap.* 6. = *Niſi manducaveritis carnem filii hominis, &
biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis* --
Et hoc præceptum obligat ad Euchariſtiam ſumen-
dam in articulo mortis, ùt patet ex *Can. de his* 26.
quæſt. 6.

quæſt. 6 in quo Viaticum morientium vocatur *neceſſarium*. Ità *Valent. loco citato punct.* 4. *Suar. loco citato ſect.*2.*Sot. loco cit. ſect.*1. *art.*11.*Filliuc. loco citat. cap.*2. *quæſt.* 6. *num.* 47.

26 Sed quià ex eodem Divino præcepto reſervatum fuit diſpoſitioni Eccleſiæ obligare fideles ad ſumendam in vita Euchariſtiam quando voluerint, ideò Eccleſiaſtico præcepto adſtringimur etiàm Paſchali tempore communicare, juxtà *Text. in cap. omnis utriuſque ſexus de pœnitentiis*, *&* *remiſſionibus*. Qui textus jubet quemlibet, qui ad annos diſcretionis pervenerit, hoc ligari præcepto, cui ùt ſatisfaciat neceſſarium habet accipere Euchariſtiam de manu proprii Sacerdotis, nempè Parochi, vel illius vicem gerentis.

27 Sciendum jàm, conſuetudine ab Apoſtolis emanata in Eccleſia invaluiſſe laudabilem morem, quòd Euchariſtia ſumi debeat à jejuno jejunio naturali, qui ſcilicèt nihil à medio noctis præcedentis diem illum, quo ad cœleſtem menſam communicaturus accedit, ſuſceperit per modum cibi, vel potus, aut medicinæ, etiàmſi res ad ſtomachum trajecta nutritiva non ſit, ùt ſi eſſet charta, creta, nummus &c. ſemper enìm verificatur ità Euchariſtiam ſumentem jejunum non eſſe ab omni re. Ità *Layman. lib.* 5. *Theol. moral tract.* 4.
28 *cap.*6. *num.*18. Qui tamèn jure merito ibidem advertit, quòd ſi aliquis deglutiat ſalivam, vel ſanguinem ex maxillis, aut capite defluentem, violare non dicatur jejunium naturale, quià non eſt trajectio alicujus rei extrinſecæ comedenti; ſicuti paritèr ſi aliquis, dùm os abluit aqua, parum aquæ caſu deglutiret ſimul cùm ſaliva, adhuc jejunus eſſet cenſendus, quià traii-
29 ceret aliquid modicum per modum ſalivæ. Quòd idem dicendum eſt de fruſtulis cœnę prçcedentis, quę

forſan

forſan dentibus adhærentia deglutiantur per modum ſalivæ; non enim ideò eorum trajectio in ſtomachum eſt jejunii violatio, cùm non ſint moralitèr diſtincta à cœna præcedente, ſed faciant unum cùm illa, nec ſit trajectio alicujus rei extrinſecæ comedenti. Videatur *Caſtropalaus part. 4. operis moralis tract. 21. diſputat. unica puncto 13. num. 8.*

30 Si tamèn aliquis in mortis articulo conſtitutus nequeat jejunus communicare, etiàm illi non jejuno Euchariſtia largiri poteſt. Ita *D. Thom. loco citat. quæſtion. 80. art. 8.*

31 Ulteriùs, ſi probabilis metus adſit irreverentiæ Sacramento huic inferendæ, puta timeatur, ne illud migrare debeat in Infidelium manus, aut ſit igne conſumendum &c. poteſt tùnc Sacerdos, imò in ejus defectum, etiam Laicus non jejunus Euchariſtiam ſumere, eamque ſibi propriis manibus miniſtrare. Ità *Layman. citato capit. 6. in fine S. Thom. quæſt. 81. artic. 6. ad 2. Sot. ad 2. diſt. 13. quæſt. 2 art. 6. Azor. 1. part. lib. 10. cap. 33 quæſt. 2. Coninch. quæſt. 80. art. 8. num. 64.*

32 Ità paritèr ſi Sacerdos cæpta miſſa recordatur fuerit ſe jejunum non eſſe, nec poſſit deſiſtere ab inchoato Sacrificio abſque gravi populi ſcandalo, poteſt etiàm non jejunus perficere Sacrificium, quià præcepta Eccleſiæ tanto rigore fideles non obligant. Imò ad id teneretur, ſi poſt conſecrationem, hujuſmodi recordatio contigiſſet.

33 Et ultimò aſſerit laudatus *Layman*; quod ſi v. g. Hoſtia conſecrata adeò labro Calicis hæreat, ùt facilè digitis dimoveri nequeat, expediens ſit vinum Calici infundere, & mixtum vino Sacramentum accipere. Itèm quando palato hæreat Hoſtia conſecrata, poteſt ſemel, & iterùm ablutio ſumi ad eam traiiciendam,

dam, quià in his caſibus violatio jejunii non cenſetur moralitèr præceſſiſſe ipſam communionem.

34 Jàm verò, ſi à me titulo huic ſupremam manum imponente ſciſciteris, quinam ſit Miniſter ordinarius hujus Sacramenti deputatus ex Chriſti inſtitutione ad illud Populo Chriſtiano conferendum.

35 Reſpondeo, eſſe ſolùm Sacerdotem: Chriſtus enìm conſecrata Hoſtia inquit Diſcipulis = *Hoc facite in meam commemorationem*.

36 Cæterùm in caſu neceſſitatis abſente Parocho, vel nolente ad morientem Viaticum deferre, poteſt quivis alius Sacerdos, & in omnem hujus defectum etiàm Diaconus Euchariſtiam ægro diſpenſare, præſumitur enìm in tali caſu Sacros Canones, vel Epiſcopum hujuſmodi licentiam Diacono etiàm largiri. Teſte *Layman. loco citato cap.7. num.2. in fine*.

TITULUS V.

De Sacramento Pœnitentiæ.

1 SACRAMENTUM hoc fuiſſe à Chriſto inſtitutum, tùnc cùm à mortuis ſua virtute excitatus Apoſtolis apparuit *Joannis cap. 20.* inquiens illis = *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, quorum retinueritis retenta ſunt* = aſſerit *Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 1.*

2 Quamobrem Sacramentum, de quo agitur, *ex D. Thoma* optimè deſcribit *Caſtropalaus part. 4. operis moralis tract. 23. diſput. unica puncto 4. num. 12.* quod

ſit

ſit -- *cæremonia ſacra in modum judicii divinitùs inſtituta, ex actibus pœnitentis, ùt materia, & abſolutione Sacerdotis, ut forma in reconciliationem ejus, qui poſt baptiſmum lapſus eſt* ·

3 Materia remota Sacrameuti Pœnitentiæ, ſunt omnia peccata actualia hominis baptizati, quæ ſi ſint mortalia, nondùm ritè confeſſa, dicuntur materia neceſſaria hujus Sacramenti; ſin autèm ſint tantùm venialia, vel mortalia, aliàs ritè confeſſa, & abſoluta, mareria ſufficiens nuncupantur.

4 Materia autèm proxima ejuſdem Sacramenti ſunt actus pœnitentis, nempè contritio, confeſſio, & ſatisfactio, juxtà *Tridentinum ſeſſ.* 14. *cap.* 3.

5 Et denique Sacramenti hujus forma ſita eſt in illis verbis: *Ego te obſolvo à peccatis tuis* -- Imò *Layman. lib.* 5. *Theol. moral. tract.* 6. *cap.* 3. *num.* 7. affirmat ad eſſentiam formæ ſufficere ſi proferantur hæ voces -- *Abſolvo te*, quià jam reliquæ ſubintelliguntur prolatæ; quòd de pronomine *Ego* manifeſtum eſt, deindè ex circumſtantiis pœnitentis ſua confitentis peccata, clarè liquet abſolutionemSacerdoti cadere ſuper pec-

6 cata Pœnitentis.Reliquæ tamèn orationes præcedentes, ſubſequentes, ſignumque Crucis manu Confeſſarii factum, Capitiſque denudatio inter abſolvendum, ſtante laudabili Eccleſiæ conſuetudine, & neceſſitate quavis remota, nonniſi abſquè peccato poſſunt omitti. Ità *D.Thom.* 3. *part. quæſt.* 84. *art.* 4.

7 Et hæc forma neceſſariò verbis exprimenda eſt, ità ùt nutu, ſcriptura, aliis Signis validè conferri nequeat. Ità *S. Thom.* 3. *part. quæſt.* 84. *art.* 3. *ad* 3. *Sot. diſt.* 3. *art.* 3. *Suar. diſp.* 10. *Coninch. diſput.* 4. *de pœnit. dub.* 9. *num.* 66. *Henriqu. lib.* 4. *de pœnit. cap.* 12. ſicuti non valebit abſolutio collata abſenti per Nuncium,

vel

vel Epiſtolam , ùt conſtat ex propoſitione hoc fieri poſſe aſſerente damnata à Clemente VIII.

8 Redeundo igitùr ad primùm Pœnitentis actum, nempè Contritionem , audi *Tridentinum ſeſſ.* 14.*cap.* 4. illam definiens , quod ſit -- *Animi dolor , & deteſtatio de peccato commiſſo cum propoſito non peccandi de cætero* .

9 Dividitur autèm in perfectam , quæ ſimplicitèr ; & abſolutè *Contritio* vocatur , & in imperfectam , quæ *Attritio* dicitur .

10 Contritionem elicit , qui elicit actum doloris , & deteſtationis commiſſæ culpæ ex motivo charitatis , eo quià ſcilicèt ea ſit offenſa Dei ſummi boni, & ſummè dilecti . Attritionem autèm habere dicitur , qui dolet de perpetratis criminibus,illaque deteſtatur ob aliud honeſtum motivum , quàm Amoris Dei ſuper omnia , puta ob ipſam peccati turpitudinem , metum gehennæ , amorem vitæ æternæ &c. juxtà *Tridentinum loco citato* .

11 Rogabis autèm,quomodo debeā ſummè Deum diligere , ùt actum Contritionis perfectæ elicere valeam.

12 Reſpondeo, duplicitèr me poſſe Deum ſummè diligere , vel intenſivè , ideſt quando ſublimi adeò actu charitatis diligo , ùt magis illum amare non poſſim ; vel appretiativè , quando ſcilicèt ità Deum diligo , ùt in comparatione illius quodvis aliud bonum contemnam .

13 Primò modo homo viator Deum nequit diligere , quovis enìm intenſo amoris actu eum proſequatur , ſemper magìs, ac magìs creſcere poterit in dilectione.

14 Secundò autèm modò illum amare debet , ùt conteratur , ideſt debet paratus eſſe divitiis , honoribus, omnique alio bono potiùs carere , quàm Deum offen-

Digitized by Google

dere adeòque poteſt aliquis verè amare Deum ſuper omnia, quamvis fortaſſe eveniat intenſiorem eſſe alicujus creatæ rei amorem, quàm Dei.

15 . Rogabis ſecundò: An Contritio perfecta neceſſaria ſit ad obtinendam gratiam in Sacramento Pœnitentiæ.

16 Reſpondeo ſufficere Attritionem, nec Contritionem neceſſariò requiri. Ità *D. Thom. 3. part. quæſt. 80. art. 4. ad ſecundum, D. Antoninus 3. part. tit. 14. cap. 19. §. 1. D. Auguſtinus tom. 4. lib. de catechizandis Rudibus cap. 1. Scot. in 4. diſt. 14. quæſt. 4. art. 3. Bellarm. lib. 2. de Pœnit. cap. 18. Maſtrius tom. 4. in 4. diſp. 5. de pœnit. quæſt. 6. art. 1. num. 137. De Lugo de pœnit. diſput 4. ſect. 9. Abelly. in Medulla Theologiæ part. 2. cap. 5. de Sacram. pœnit. ſect. 10. Bail. de triplici examine ordinandorum part. 3. pag. 727. Becan. tom. 1. cap. 35. de Sacram. in ſpecie quæſt. 6. Bonac. diſp. 5. de Sacram. pœnit. quæſt. 3. ſect. 5. punct. 3. propoſ. 3. Layman. tract. 6. de pœnit. cap. 1. num. 2. Canus de pœnit. part. 5. verſ. deindè etiàm attritio efficax*, ubi ſententiam noſtram acritèr tuetur, dicens *Communis Eccleſiæ ſenſus id confirmat*, ac innumeri planè DD. quorum formalibus uniuſcujuſque verbis relatis alphabeticum, & accuratum retexit cathalogum magnæ notæ Theologus *P. Joannes Baptiſta Gormaz Soc. Jeſu in ſuo tractatu de pœnit. part. 1. à pag. mihi 509. uſque ad pag. 568. edito Romæ an. 1697. typis Antonii de Rubeis.*

17 Probant veriſſimam hanc ſententiam duplici ratione DD. Et primò quidèm, quià Pœnitentia eſt Sacramentum mortuorum per ſe reconcilians Deo peccatores; ergò repugnat ante Sacramentum prærequiri aliquid, quod jàm Deo peccatores reconciliaverit; ità autèm eveniret ſi prærequireretur neceſſariò contritio-

tio perfecta, quæ cum includat votum Sacramenti hujus ſuſcipiendi, per ſe hominem Deo reconciliat, ut aſſerit *Tridentina Synodus ſeſſ.* 14. *cap.* 4. *de ſanctiſſimis pœnitentiæ, extremæ unctionis Sacramentis*; ergò &c.

18 Probant Secundò. Chriſtus Dominus Apoſtolis, eorumque in Sacerdotio Succeſſoribus dedit facultatem remittendi peccata *Joan.*20. inquiens illis = *Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt*: ergò Sacerdotes verè remittunt peccata; ergò implicat ad abſolutionem Sacerdotalem aliquod neceſſariò prærequiri, quod ſupponat peccata jàm remiſſa; ſed ſi ad Sacramentum Pœnitentię prętequireretur neceſſariò Contritio perfecta, prærequireretur neceſſariò aliquid, quod ſupponeret peccata jàm remiſſa: ergò &c. Confirmatur. Nàm ex verbis Chriſti ſuprà relatis, Sacerdos poteſt remittere, & retinere peccata, ſed jàm remiſſa non poteſt retinere: ergò poteſt alia remittere, quàm jàm remiſſa.

19 Omiſſis tamen rationibus his, & ſimilibus, licèt validiſſimis, unicè inſiſtendum duco verbis Tridentini, quod *ſeſſ.* 14. *d. c.* 4. poſtquam contritionem genericè acceptam diſtinxit in perfectam, & imperfectam ad imperfectam deveniens de illa ſic loquitur -- *Illam verò Contritionem imperfectam, quæ Attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communitèr concipitur, ſi voluntatem peccandi excludat cum ſpe veniæ, declarat, non ſolùm non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, verùm etiàm donum Dei eſſe, & Spiritus Sancti impulſum, non adhuc quidem inhabitantis, ſed tantùm moventis, quo pœnitens adjutus, viam ſibi ad juſtitiam parat &c.* Hactenus impugnavit Lutherum,

Digitized by Google

nunc ulteriùs progreditur, & ſententiam noſtram promulgat ſubdens -- *Et quamvis ſine Sacramento Pænitentiæ per ſe ad juſtificationem perducere peccatorem nequeat, tamèn eum ad Dei gratiam in Sacramento Pænitentiæ impetrandam diſponit*. Hæc ſunt verba Concilii. Dic, amabo te, clariora deſideras?

20 Ut autèm, ſi vis, & fieri poteſt, luce meridiana clariora reddantur, & mens Tridentini ocularis evadat, adverte; Tridentinum dd. verbis militare contra Lutherum, eamque approbare Attritionem cùm Sacramento conjunctam, quam Lutherus reprobat; ſed Lutherus reprobabat Attritionem conceptam non ex motivo charitatis, ſed timore gehennæ; ergo &c. Probatur minor ex verbis Lutheri *ſerm.* 2. *de pœnit.* quæ ab *Arſdekin Theologiæ tripartitæ univerſæ tom.* 2. *part.* 2. *tit.* 1. *cap.* 3. *quæſt.* 21. §. 3. *verſ. his ità diſſolutis*, & *à P. Gormaz laudato loco citato numer.* 439. *pag. mihi* 491. ea referentibus, fideliter tranſcripta, ſunt hæc. *Hæc autèm Contritio* (Attritio nempè) *facit hypocritam, imò magìs peccatorem, quià ſolùm timore præcepti, & dolore damni id facit. Et tales omnes indignè abſolvuntur, & communicantur; Et ſi liberè deberent, remoto præcepto, & minis pænarum, confiteri, certè deberent dicere, certè dicerent ſibi non diſplicere eam vitam præteritam, quàm ſic coguntur diſplicere confiteri; imò quò magìs timore pænæ, & dolore damni ſic conteruntur, eo magis peccant, & afficiuntur ſuis peccatis, quæ coguntur, non autèm volunt odiſſe. Et hæc eſt illa contritio, quàm ipſi vocant extrà charitatem non meritoriam, alii vocant Attritionem proximè diſponentem ad* Contritionem; *ſic enìm ipſi opinantur, quàm opinionem errorem ego Judico.*

21 Adverte ſecundò; Tridentinum contradiſtinguere

Attri-

Digitized by Google

Attritionem in Sacramento ab Attritione extrà Sacramentum, ùt legenti, & intelligenti patet; atqui dicit Attritionem per ſe non ſufficere ad juſtificandum extrà Sacramentum ibi -- *Et quamvis ſine Sacramento Pœnitentiæ per ſe ad juſtificationem perducere peccatorem nequeat*; ergò intendit dicere illam cum Sacramento ſufficere ad peccatorem juſtificandum, aliàs eſſent ſuperflua illa verba -- *per ſe*, *& ſine Sacramento* -- ſi etiàm cum Sacramènto non haberet virtutem juſtificandi.

22 Adverte tertiò; conclusionem capitis citati, ex qua ervitur certiſſimò mens ejuſdem Concilii ſic ajentis -- *Quamobrem falsò quidam calumniantur Catholicos Scriptores, quaſi tradiderint Sacramentum Pœnitentiæ abſque bono motu ſuſcipientium gratiam conferre, quod nunquam Eccleſia Dei docuit, nec ſenſit*. Hæc autèm illatio Concilii nullius eſſet momenti, ſi præter Attritionem eſſet neceſſarius motus contritionis perfectæ ad obtinendam gratiam in Sacramento. Concilium enìm optimè arguit, & infert hoc modo. Motus Attritionis eſt bonus, & laudabilis; ergò non confertur gratia in Sacramento Pœnitentiæ abſquè motu bono, & laudabili in ſuſcipienti, etiàm tùnc quandò datur Sacramentum cum ſola Attritione.

23 Nec dicas primò; Ex verbis Tridentini ſolùm ervi, Attritionem diſponere ad impetrandam gratiam, hoc eſt ad dignè ſuſcipiendum Sacramentum, quo dignè ſuſcepto gratia ſanctificans confèratur, ſicuti jejunia, eleæmoſinæ, & alia pia opera præcedentia diſponunt hominem ad dignè ſuſcipiendum Sacramentum, cujus virtute juſtificetur, quod ſatìs ſuperque fuit Tridentino volenti confutare hæreticos negantes motum Attritionis eſſe laudabilem, & non vitioſum.

Præ-

24 Prætèr enìm animadverſiones ſuperiùs factas pro apertè dignoſcenda mente Concilii, reſpondeo, Tridentinum loqui de Attritione, ùt de diſpoſitione ultima, & proxima ad obtinendam gratiam in Sacramento; illam enìm eſſe, etiàm extra Sacramentum, diſpoſitionem remotam ad gratiam impetrandam, jàm definierat *idem Concilium ſeſſ. 6. cap. 6. de juſtificatione*, ibi = *Dum peccatores ſe eſſe intelligentes è Divinæ juſtitiæ timore, quo utilitèr concutiuntur ad conſiderandam Dei miſericordiam in ſpem eriguntur, fidentes Deum ſibi propter Chriſtum propitium fore, illumque tanquam omnis Juſtitiæ Fontem diligere incipiunt*. Rurſus; ideo dicit Concilium Attritionem diſponere ad gratiam, quatenùs illa eſt extrinſece gratiæ, quamvis ſit intrinſeca Sacramento. Cœterùm contrà Adverſarios retorqueri facile poteſt objectio. Dolor ex motivo charitatis diſponit Peccatorem ad gratiam in Sacramento impetrandam; ergò etiàm ille dolor non eſt pars, ſed mera diſpoſitio extrinſeca Sacramenti.

25 Neque reponas, Attritionem diſponere tantùm ad eliciendum actum contritionis perfectæ, quo elicito conferatur gratia in Sacramento.

26 Debebis namque, ſi vales, tentare effugium ab hoc dilemmate. Vel homo poſt Attritionem habuit Contritionem, vel non habuit; ſi habuit, jàm juſtificatus fuit antè ſuſceptionem Sacramenti; ſi non habuit, neque cum Sacramento juſtificabitur, cum per ſe ſola Attritio, etiàm Sacramento conjuncta non ſufficiat ad juſtificationem obtinendam.

27 Ac adeò verùm eſt, mentem Concilii non fuiſſe concedere Attritioni ſolam hanc facultatem diſponendi ad eligendum actumContritionis, ut illam ſine cujuſvis amoris admixtione intenderit declarare ſufficien-

tem

tem ad impetrandam gratiam in Sacramento. Refert ſiquidem *clar. mem. Cardinalis Pallavicinus* in celeberrima, quàm de geſtis Concilii exaravit Hiſtoria *lib.* 12. *cap.* 10. *num.* 36. §. 2. de Patrum conſenſu expuncta fuiſſe ab allegato Tridentini loco verba quædam aliqualem amoris admixtionem in Attritione exigentia, & decretum Concilii emanaſſe eo modo, quo nùnc extat. Verba laudati Cardinalis idem decretum Italico Idiomati reddentis ſunt hæc = *Col quale* (ideſt Attritionis motu) *il Penitente ajutato* (*conciosiacoſache appena poſſa eſſere ſenza qualche movimento d'amore verſo Dio*) *ſi fà ſtrada alla giuſtitia, e per eſſo ſi diſpone ad impetrar più agevolmente la grazia di Dio. Ma il Veſcovo prenominato* (Joannes nempè Æmilianus Epiſcopus Tudenſis in Hiſpania, qui Concilio interfuit) *auverti, che era falſo, appena poterſi mai dare un tal dolore ſenza l' Amore &c. e però doveva levarſi. Onde il decreto fù riformato come ſta ora.*

28 Nec dicas ſecundò, *Tridentinum loco cit.* ſubdere = *Eodem timore utilitèr concuſſos Ninivitas ad Jonæ prædicationem plenam terroribus pœnitentiam egiſſe, & miſericordiam à Domino impetraſſe* : atqui Ninivitæ non obtinuerunt miſericordiam per ſolum actum attritionis abſque actu charitatis, quæ juſtificat extrà Sacramentum : ergò &c.

29 Reſpondeo enim Ninivitas fuiſſe concuſſos timore eodem tantùm genericè ſumpto, quatenùs erat metus pœnæ à Deo comminatæ; ſiquidèm non dicitur eos concepiſſe timorem ex metu gehennæ, ſed tantùm ex everſione Civitatis, quàm intrà quadraginta dies Jonas prædixerat eventuram. Nec docet Concilium illos ex vi iſtius amoris, & pœnitentiæ eam

im-

impetraſſe miſericordiam, quæ in juſtificatione conſiſtit, ſed illam tantùm, quæ ſita erat in ſuſpenſione pœnæ temporalis, & everſionis Civitatis, quæ poterat à Deo impetrari per emendationem vitæ, & dolorem, juxtà verba *ejuſdem Jonæ cap.* 3. = *Et vidit Deus opera eorum, quià converſi ſunt de via ſua mala, & miſertus eſt Deus ſuper malitiam, quàm locutus*
30 *fuerat, ut faceret eis, & non fecit*. Quod ſi dicere velimus, ùt agamus liberalitèr cùm Adverſariis noſtris, ibi Concilium loqui de miſericordia illa, quæ in juſtificatione conſiſtit; certùm eſt illam obtineri non potuiſſe extrà Sacramentum pœnitentiæ tùnc temporis non inſtitutum, niſi per actum Contritionis perfectæ. Hoc tamèn ipſum noſtram ſententiam promovet; aliàs enim difficiliùs homines peccatores obtinerent gratiam in lege gratiæ, quàm in lege ſcripta, nàm, & tenerentur elicere actum contritionis perfectæ, & inſuper ſuſcipere Sacramentum Pœnitentiæ, quando Ninivitis ad illam impetrandam ſufficiens fuerat contritio, adeòque nullum ſpeciale beneficium fidelibus fuiſſet conceſſum ex inſtitutione Sacramenti Pœnitentiæ, ſed potiùs grave onus impoſitum; Ut in hoc propoſito egregiè dicit *Caſtropal. part.* 4. *oper. moral. tract.* 23. *diſp. unic. de Sacram. Pœnit. punct.* 7. *num.* 1. *circà finem*.

31 Nec dicas tertiò, Tridentinum requirere in Pœnitentia peragenda ab Adultis antè Baptiſmum, ùt Deum tanquam omnis Juſtitiæ fontem diligere incipiant, proùt liquet ex verbis ſupra recenſitis *Concilii ſeſſ.* 6. *cap.* 6. Eadem autèm eſt Pœnitentia præmittenda Baptiſmo, ac Abſolutioni Sacramentali.

32 Reſpondeo namque, Concilium dùm ait, = *omnis Juſtitiæ fontem diligere incipiunt* = loqui indetermi-

natè

Digitized by Google

natè, ſivè de Amore concupiſcentiæ contento in ſpe veniæ, quo Deum ut nobis bonum deſideramus, ſivè
33 de quovis alio amore. Et revera, dum ait nos Deum deligere ùt fontem juſtitiæ, ſeù noſtræ juſtificationis, quæ nobis bona eſt, videtur apertè diſſerere de amore Concupiſcentiæ, quem Concupiſcentiæ amorem bonum eſſe, & ordinatum, in confeſſo eſt apud omnes, cum ad illum habendum nos ſæpè Deus hortetur, ùt *Eccleſ.* 30. = 1. *Miſerere animæ tuæ placens Deo = Matth.* 6. = *Primùm quærite Regnum Dei, & juſtitiam ejus = ad Corinth.* 9. = *Omnis autèm, qui in agone contendit ab omnibus ſe abſtinet, & illi quidèm ùt corruptibilem coronam accipiant, nos autèm incorruptam = & pſalm.* 118. canit *Regius vates = Inclinavi cor meum ad faciendas juſtificationes tuas proptèr retributionem*, ac alibi paſſim in ſacris literis.

34 Rurſus pœnitentia ante Baptiſmum neceſſaria, de qua ibi loquitur Tridentinum, poteſt intelligi diſiunctivè, vel de Contritione perfecta, vel de attritione. Evidens igitùr fit nihil in objecto Tridentini loco determinatè dici de amore Dei propter ſe dilecti, quod parti adverſæ favere poſſit, & nos oppugnare.

35 Poſtremò argumentum illud in arenam produces, cui Adverſarii, præſertìm recentiores ſummoperè innituntur S.M. Innocentius XI. die 2. Martii 1679. hanc propoſitionem damnavit *in num. Primam* -- *Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, niſi id vetet Lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi*: Atqui opinio ſtans pro ſufficientia Attritionis cùm Sacramento eſt minùs tuta, tutior autèm, quæ ſtat pro contritione; ergò &c.

36 Sed reſpondeat huic argumento *Cardenas in Chriſt*

Theologic. diſſert. 2. cap. 6. art. 11. dicta propoſ. 1. damnata quæſt. 1. num. 61. & reſpondeat ad literam verbis ſuis -- *Dicendum eſt eam ſententiam affirmativam de ſufficientia Attritionis non ſubjacere huic damnationi. Ratio eſt, quià Decretum loquitur de opinionibus merè probabilibus; hæc autèm doctrina non eſt merè probabilis, ſed omninò certa, & indubitabilis propter definitionem Concilii Trident. ſeſſ. 14. cap. 4.*

37 Quìn valeat dicere cùm pluribus DD. Lovanienſibus San.Mem. Alexandr. VII.in decreto expedito die 5. Maii Anni 1667. præcepiſſe, quod nullus audeat injuria, vel contumelia afficere opinionem affirmativam, aùt negativam in hac materia; ergò Pontifex ſententiam noſtram reliquit in ſtatu probabilitatis; quæ autèm doctrina eſt merè probabilis, non eſt certa.

38 Solvet enìm, & hanc objectionem facillimè, & validè laudatus *Cardenas loco cit. num.* 64. per hæc formalia verba.

39 *Reſpondeo non obſtante eà opinatione Lovanienſium noſtram doctrinam eſſe certam, & omninò tutam, propter ſupradicta. Quod autèm Pontifex juſſerit neutram quæſtionis partem cenſurari, aut injuria affici, probat illam eſſe probabilem, quià ſolùm contendit Pontifex compeſcere diſſidia, quæ violant charitatem, & pacem, ùt conſtat ex illis verbis decreti* (quod inferiùs referemus) *Enixè cupiens pacis vinculum inter fideles ſervari, omnem ſciſſuræ fomitem extingui &c. Idque præcipit donec ab hac Sancta Sede fuerit aliquid hac in re definitum. Ex quo minimè infertur noſtram doctrinam eſſe incertam, ſed ſolùm voluiſſe Pontificem conſulere paci fidelium, & relinquere hanc materiam ſub Judice. Cum hoc tamèn ſtat, quod privati Docto-*

res

res habeant principia certa ab intrinſeco. Hunc uſque Cardenas.

40 Placet igitur pro præſentis quæſtionis coronide recenſere Decretum integrum Alexandri VII.ùt ex ejus inſpectione pateat illud ne noſtram infringat ſententiam, an potiùs convalidet. Accipe igitùr illius verba.

DECRETUM

41 *Sanctiſſimi D. N. ALEXANDRI Divina Providentia Papæ VII. quo vetat cenſura notari ſententiam de ſufficientia Attritionis ex metu gehennæ, alteramque de neceſſitate aliqualis dilectionis ad ſufficientiam Attritionis. Feria V. die 7. Maii 1667.*

SAnctiſſimus D.N. ALEXANDER Papa VII. Cum acceperit non ſine gravi animi mærore Scholaſticos quoſdam acriùs, nec abſque fidelium ſcandalo intèr ſe contendere: An illa Attritio, quæ concipitur ex metu gehennæ excludens voluntatem peccandi cum ſpe veniæ, ad impetrandam gratiam in Sacramento Pœnitentiæ, requirat inſuper aliquem actum dilectionis Dei, aſſerentibus quibuſdam, negantibus aliis, & invicem adverſam ſententiam cenſurantibus. Sanctitas ſua enixè cupiens pacis vinculum intèr fideles ſervari, omnemque ſciſſuræ fomitem extingui, auditis votis Eminentiſſimorum, ac RR. DD. Cardinalium adversùs hæreticam pravitatem generalium Inquiſitorum, nec non DD. Conſultorum, & Qualificatorum Sacræ Congregationis ejuſdem generalis Inquiſitionis, hoc præſenti de-

ti decreto, in virtute S. Obedientiæ, & ſub pœna excommunicationis latæ Sententiæ huic Sanctæ Sedi reſervatæ, aliiſque pœnis ejuſdem Sanctæ Sedis arbitrio taxandis, præcipit cunctis, & ſingulis fidelibus, quocumque gradu, ac dignitate etiàm Epiſcopali, & majori, imò, & Cardinalitia fulgentibus, ùt ſi deinceps de materia Attritionis præfatæ ſcribent, vel libros, aut ſcripturas edent, vel docebunt, vel prædicabunt, vel alio quovis modo pœnitentes, aut ſcholares, cæteroſque erudient, non audeant alicujus Theologicæ cenſuræ alteriuſve injuriæ, aut contumeliæ nota taxare alteram ſententiam, ſive negantem neceſſitatem aliqualis dilectionis Dei in præfata attritione ex metu gehennæ concepta, quæ hodie inter Scholaſticos communior videtur (Utri ſententiæ faveant hæc Pontificii decreti verba viderint Adverſarii; ipſis certè non favent) *ſive aſſerentem dictæ dilectionis neceſſitatem, donec ab hac Sancta Sede fuerit aliquid hac in re definitum, ſtatuitque præterea decretum hoc, ſeù illius exemplum ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe, & in Acie Campi Floræ affixum, omnes ubique exiſtentes arctare, & afficere, ac ſi unicuique perſonalitèr fuiſſet intimatum.*

Franciſcus Siccardus Sanctæ Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis Notarius.

Loco † *Sigilli.*

Anno à Nativitate D. N. Jeſu Chriſti 1667. *indictione quinta, die verò* 7. *Maii Pontificatus autèm Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. D. ALEXANDRI Divina Providentia Papæ VII. anno Decimo tertio ſupradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, & in Acie Cam-*

Campi Floræ , ac in aliis locis ſolitis , & conſuetis Urbis per me Carolum Melanum ejuſdem SS. D. N. Papæ, & Sanctiſſimæ Inquiſitionis Curſorem .

42 Ut autèm hæc Attritio cùm ſpe veniæ conjuncta ſufficiens ſit ad obtinendam gratiam in Sacramento , debet proficiſci ex motivo ſupernaturali ; Si enim aliquis doleat ſe peccaſſe , eo quià ſanitatem peccatis deſtruxerit , eo quià infamis apud probos viros evaſerit &c. non attereretur ſufficientèr , quià dolor manens intrà ordinem naturæ non poteſt eſſe diſpoſitio per ſe conducens ad vitam ordinis ſupernaturalis . Ità *Suarius tom.* 4. *in* 3. *part. diſput.* 5. *ſect.* 1.

43 Quinimò ſi aliquis attereretur ex metu gehennæ , ſed ità ; ùt paratus eſſet gehenna deficiente peccare , adhuc non eſſet diſpoſitus ad obtinendam gratiam in Sacramento ; quià timor hic eſt timor purè ſervilis , juxtà *Suarium ibidem* .

44 Jàm verò rogabis tertiò . An ſi aliquis atteratur ex metu Purgatorii impetret gratiam in Sacramento .

45 Reſpondeo cum diſtinctione : Vel qui ità atteritur habet materiam ſufficientem ad confeſſionem , & ſufficit attritio ex metu Purgatorii profecta ; vel habet materiam neceſſariam , & non ſufficit . Ratio eſt evidens , quià Purgatorii pœna non correſpondet peccato mortali nondùm remiſſo , cùm illi correſpondeat gehenna ; Correſpondet autèm bene peccatis venialibus , vel mortalibus aliàs remiſſis . Et ex alia parte dolens ex Purgatorii metu , dolet ex motivo ſupernaturali , nempè per fidem cognito .

46 Adverte ultimò quoad materiam Contritionis , quod ùt ſufficiens ſit dolor , quèm quis concipit de patratis delictis , debeat includere propoſitum efficax

de cœ-

47 de cœtero non peccandi ; Et hoc propoſitum debet conſiſtere in voluntate efficaci , qua aliquis nolit ampliùs peccare , non autèm in ſimplici velleitate ; hæc enìm eſt etiàm compoſſibilis cùm peccato , ùt moris eſt in peccatore pertinace , puta in Concubinario , qui noſcens ſtatum infelicem , in quo moratur , ſæpiùs dicit -- *Vellem peccandi occaſionem relinquere* -- & etiàm dum hoc dicit non vult abſolutè illam deſerere .

48 Vocat jàm me ad ſui examen Confeſſio , alter actus Pœnitentis , altera pars materiæ proximæ hujus Sacramenti .

49 Rogabis igitùr . Quando nàm obligemur peccata confiteri .

50 Præmitto reſponſioni communem Theologorum ſententiam cum *D. Bonaventura in* 4. *diſtinct.* 17. *parte* 2. *art.* 2. *quæſt.* 1. amplexatam *à Suar. diſput.* 36. *ſect.* 2. *numer.* 8. *Azor.* 1. *part. Inſtitut. moral. cap.* 2. *quæſt.* 2. *Reginald. lib.* 6. *num.* 22. *Coninch. diſput.* 5. *dub.* 5. *num.* 52. *Vaſq. quæſt.* 90. *art.* 2. *dub.* 2. *num.* 11. *Pitig. loco cit. concluſ.* 2. *art.* 2. nullum eſſe præceptum, ne Eccleſiaſticum quidèm , obligans omnes fideles ad confeſſionem peccatorum venialium , aliàs enim nimìs gravis obligatio Fidelibus eſſet impoſita .

51 De mortalibus igitùr loquendo , dico Jure Divino obligari omnes Fideles ad eorum confeſſionem in mortis articulo , vel probabili periculo ejuſdem, v. g. tempore graſſantis peſtis , partus periculoſi , imminentis naufragii &c. alioquin enìm homo ſe exponeret periculo nunquàm peccatum confitendi . Ità *Layman. de Sacram. Pœnit. lib.* 5. *tract.* 6. *cap.* 5. *num.* 5. *Reginald. loco citato Vaſq. loco citato dub.* 3. *num.* 21. *Zerol. loco citato cap.* 10. *quæſt.* 9. *Filliuc. tract.* 7. *cap.* 2. *quæſt.* 4.

Hen-

Henriq. dicto lib. 4. cap. 3. num. 3. lit. 10.

52 Ex præcepto autèm Eccleſiaſtico tenetur, qui annos diſcretionis attigerit; & mortalis culpæ ſit conſcius, confiteri ſemel in quovis anno, juxtà *text. in cap. omnis utriuſque ſexus de pænitentiis, & remiſſionibus*: Hic autèm annos quoad obligationem confeſ-

53 ſionis, ſpectata. Fidelium conſuetudine (quæ in hac materia eſt legitima Legis interpres) ſolet computari à Paſchate ad Paſcha, intelligendo nomine Paſchatis omnes illos dies, qui communioni Paſchali aſſignantur. Ità *Suarius de pænitentia diſput. 36. ſect. 3. num. 8. Sylv. in ſum. v. Confeſſio 1. quæſt. num. 2. Azor. loco cit. cap. 38. quæſt. 6. Coninch. loco cit. dub. 9. concl. 2. num. 56. Henriq. loco cit. cap. 4. num. 1. Filliuc. loco cit. cap. 3. quæſt. 4.*

54 Sed ſecundò rogabis: An huic præcepto annuæ confeſſionis ſatisfiat, qualibet interim Anni parte fiat confeſſio?

55 Reſpondeo affirmativè. Ità *Henriquez lib. 4. de Sacramentis cap. 4. numer. 7. Medina de confeſſ. quæſt. 4. Valent. tom. 4. diſput. 7. quæſt. 9. punct. 4. Reginal. lib. 6. num. 35. & 37.* Et ratio eſt, quia in *dicto cap. omnis utriuſque* ubi præcipitur annua communio, & confeſſio, dicitur, quod hæc debeat fieri ſimplicitèr ſemel in Anno non determinando tempus, illa autèm in Paſchate. Verba autèm legis tantùm valent, quantùm ſonant.

56 Dices: Ergò, qui confeſſus fuit in Nativitate Domini, v. g., non tenetur iterùm in Paſchate hoc Anno confiteri, ſi habeat conſcientiam culpæ lethalis.

57 Reſpondeo negando conſequentiam. Ratio eſt, quia eſto in Paſchate hujus anni non teneatur peccata confiteri ex præcepto annuæ confeſſionis jam ex

pleto

pleto, tenetur id facere ex alio præcepto, eo quia ſcilicèt Sacram Euchariſtiam eſt ſuſcepturus, quæ non compatitur ſecum culpam gravem in Anima exiſtentem.

58 Rogabis tertiò. An per Confeſſionem ſacrilegam, vel factam non Sacerdoti, præceptum annuæ confeſſionis impleatur.

59 Reſpondeo negativè, juxtà *Suarium citata diſp. 36. ſect. 7. num. 3. Pitigian. 2. part. diſt. 17. quæſt. unic. num. 7. in fine, & Bonac. de pœnit. diſput. dicta quæſt. 5. ſect. 2. punct. 3. num. 8. 9. & ſeqq.* Quia Eccleſia præcipit ſuſceptionem veri Sacramenti Pœnitentiæ; Sacramentum autèm non conſiſtit ſinè abſolutione Sacerdotis, vel in confeſſione ſacrilega.

60 Dices: Ergò Eccleſia præcipit interna, quià præcipit actum doloris in pœnitente, carentiam affectus ad aliquam culpam gravem &c.

61 Reſpondeo diſtinguendo conſequens illatum: Ergò Eccleſia præcipit interna directè, & ratione ſui, negatur; indirectè, & ratione alterius conceditur conſequentia. Quià Eccleſia præcipit, ùt præceptum Confeſſionis divinum ſaltèm ſemel in Anno impleatur, ſed non impletur preceptum Divinum per confeſſionem ſacrilegam, & nullam; ergò neque per illam impletur præceptum Eccleſiæ. Ubi enìm ad valorem actus externi, quod præcipitur, requiritur aliquod internum, id etiàm poteſt ſtatui, & requiri ab Eccleſia, non enìm id exigit directè, & ratione ſui, ſed indirectè, & ratione alterius, nempè confeſſionis præceptæ. Quod idem dicendum eſt de præcepto Communionis Paſchalis, cui non ſatisfit per Communionem ſacrilegam. Quare ſan. mem. Innocentius XI. damnavit hanc propoſitionem inter ab ipſo damnatas 55:

die

die 2. Martii 1679. = *Præcepto Communionis annuæ ſatisfit per ſacrilegam Domini manducationem.*

62 Rogabis quartò. Quomodo confiteri pœnitens debeat peccata ſua.

63 Reſpondeo: Voce ſi poteſt, & ſoli Sacerdoti *dicto cap. omnis utriuſque.*

64 Excipe primò. Ægrotum gutturis angore gravitèr actum, qui non niſi cùm magna difficultate peccata poſſit ore explicare, poteſt enim illa ſcribere, *teſte Layman. lib. 5. Theologia moral. tractat. 6. capit. 6. num. 3.*..

65 Excipe ſecundò. Mutum, qui nutuum ope poteſt confiteri, imò ſi perpetuò mutus ſit, confeſſionem annuam nutibus debet implere. Ità *Cajetanus in ſumma verbo Confeſſio concluſ.* 11.

66 Excipe ultimò. Peregrinum non reperientem Sacerdotem, à quo ejus idioma percipiatur; poteſt enìm ſua fateri crimina per interpretem, licèt ea non teneatur hoc modo confiteri, niſi in mortis articulo conſtitutus, & dubitans, an verum actum contritionis habuerit; ratione charitatis, quam ſibi ipſi, & ſatisfactionis, quàm Deo debet perſolvere, quo tamèn caſu ea ſaltèm peccata tenetur explicare, quæ cùm minore ſui infamia explicare poteſt. Ità *Henriquez lib.* 4. *de Sacramentis cap.* 4. *num.* 4.

67 Rogabis quintò: An Confeſſio debeat eſſe integra, ùt valida ſit.

68 Reſponde, duplicem dari integritatem in hac materia; Materialem, & formalem. Formalis eſt, cùm quis omnia peccata mortalia, quæ hic, & nùnc poteſt, ac debet explicare, confitetur; & hoc modo debet quævis confeſſio eſſe integra. Materialis integritas eſt cùm quis abſolutè loquendo omnia peccata mor-

talia, quorum eſt conſcius, juxtà ſpeciem, & numerum ſingulorum diſtinctè confitetur. Et hæc integritas non eſt ſemper neceſſaria.

69 Primò enim. Infirmus in mortis articulo conſtitutus, qui Sacramentum Pœnitentiæ, vel optavit expreſsè, vel implicitè exhibendo generalia ſigna pœnitentiæ, etiamſi nullum peccatum in particulari confitetur, dummodò nullum exponere poſſit, poteſt abſolvi. *San. Antonin. part.3.tit.10. cap.2. Suar. diſp.23. de pœnit. ſect. 1. num. 5. Henriqu. lib.6. cap. 10. num.7. Bellarm. lib. 2. de pœnit. cap. 7. in fine Medin. Cod. de confeſſ. quæſt. de peccatis oblitis.*

70 Secundò, ſi aliquis abſquè mortali negligentia memoriam non habeat commiſſi criminis, fructuosè ſuſcipit Sacramentum Pœnitentiæ, modò reliqua peccata lethalia confiteatur *Henriquez lib. 5. de Sacramentis cap.5. Coninck. diſp.7. dub.9. num.70. Zerol. in prax. de pœnit. cap.13. quæſt. 31. & 32.*

71 Tertiò. Si Pœnitens inchoatam confeſſionem nequeat perficere, puta, quià homo mutus, vel ignoti idiomatis omnia explicare nequeat delicta, vel ſi intèr confitendum incidat in phreneſim, aut periculum ſit ne mox moriatur, debet confeſtim abſolvi abſolvendus denuò ſi ſupervixerit, reliqua peccata, proùt tenetur, confeſſus fuerit; ſicuti paritèr tempore peſtis, inſtantis naufragii, aut periculoſi certaminis, poteſt plures Confitentes Confeſſarius audire ſimul,& abſolvere, juxtà *Henriquez loco citato cap. 12. num. 3.*

72 Quartò. Si urgeat neceſſitas confitendi alicui Sacerdoti, v. g. ſuo Parocho, cui ſine gravi periculo Animæ, famæ,corporis, aut fortunarum proprio, vel alieno peccatum aliquod ſignificari nequeat; tùnc etiàm eo prætermiſſo, & reliquis confeſſis, peti poteſt abſo-

abſolutio; Quià tunc lex poſitiva de integritate Confeſſionis cedit naturali charitatis, ne aliàs remedium hujus Sacramenti quòd ex charitate proceſſit, militaret contrà Charitatem. Ità *Sylveſter in ſumma verbo confeſſio* 1. *quæſt.* 18. *Suar. diſp.* 13. *ſect.* 2. *Henriqu. lib.* 5. *cap.* 12. *num.* 5. *Sot. in* 4. *diſt.* 18. *dub.* 1. *art.* 5. *ad* 3. *Coninch. loco cit. num.* 75. *Pitigian. loco cit. quæſt. unic. art.* 5. *in explicatione particulæ = quis --*

73 Rogabis ſextò. An neceſſe ſit confiteri peccatum, quo oporteat complicem infamare apud Confeſſarium, v. g. inceſtum cùm Matre.

74 Reſpondeo. Quòd ſi pœnitens poſſit vitare facilè hanc complicis infamationem confitendo Confeſſario ignoto, id facere teneatur *Henriquez lib.* 5. *cit. cap.* 9.

75 Si verò nequeat alio modo peccatum integrè confiteri, quàm ità ùt perſona complicis Confeſſario innoteſcat, nec ullum aliud timeatur, damnum, quàm intrinſecum Confeſſioni, nempè læſio famæ ejuſdem complicis apud Confeſſarium, tenetur materialitèr integram confeſſionem facere, & dictum peccatum confiteri; quià non minùs Juris habet Pœnitens ad tuendam famam propriam quàm habeat alius, ùt conſervetur fama ipſius, ſed tenetur pęnitens aperire in confeſſione omnia delicta ſua, quantùmvis enormia; ergò etiam poteſt aliena *San. Thom. opuſc.* 12. *quæſt.* 6. *& in* 4. *diſt.* 16. *quæſt.* 3. *art.* 2 *quæſtiunc.* 5. *Henriqu. loco cit. Card. de Lugo de pęnit. diſp.* 16. *ſect.* 7. *Coninch. loco cit num.* 89. *Filliuc. tract.* 7. *cap.* 11. *quæſtion.* 9. *&* 10. *nu.* 343. *Valentia tom.* 4. *diſp.* 7. *quæſt.* 11. *punct.* 1. *verſicul. quartus caſus Suar. in* 3. *part. tom.* 4. *diſput.* 34. *ſect.* 2. *Bonacc. de reſtitut. tom.* 2. *diſp.* 2. *quæſtion.* 4. *punct.* 4. *per tot.*

Digitized by Google

76 Sed jàm me urget ſatisfactio, ſuique exigit explicationem. Illi igitur ſine mora ſatisfaciamus,

77 Sciendum ergò opera illa bona,quæ cæteroquìn ex opere operantis ſunt ſatisfactoria, v. g. oratio, eleemoſina, peregrinatio &c. per hoc, quod injungatur à Confeſſario Pęnitenti, & peragantur ab ipſo, acceptari à Deo in ſatisfactionem peccatorum, & evadendo partem integralem Sacramenti Pœnitentiæ, elevari ad vim ſatisfactivam ex opere operato, ùt ſcilicèt tollant reatum pœnæ temporalis peccatis debitam, & alias in Purgatorio exſolvenda *Tridentinum ſeſſ.* 14. *cap.* 3.

78 Dixi eſſe ſatisfactionem partem integralem Sacramenti, ad differentiam Contritionis, & Confeſſionis,
79 quæ ſunt partes eſſentiales illius. Partes eſſentiales eas vocant DD. ſine quibus non eſt Sacramentum.
80 Integrales autèm, quibus etiàm deficientibus habetur Sacramentum validum, & fructuoſum; hanc autèm eſſe ſatisfactionem patet; quià v. g. moribundo jàm jàm ſpiritum emittenti non eſt neceſſe imponere ſatisfactionem, & tamèn ſi ille peccata ſua fuerit ritè confeſſus, eſt abſolvendus.

81 Rogabis autèm: An ſatisfactio à Confeſſario impoſita tollat omnem pœnam temporalem peccatis debitam.

82 Reſpondeo, dari ſatisfactionem aliquam quæ adæquet omnem pęnam debitam culpis, aliam, quæ illam excedat, aliam, quæ deficiat. Probatur. Pœna temporalis debita peccatis remiſſis, ritè abſolutis eſt finita, ergò poteſt dari ſatisfactio, quæ adæquet,quæ deficiat, quæ excedat illam. Si adæquet, nihil remanet in Purgatorio luendum, ſi excedat præter remiſſionem pœnæ,præbet ſatisfactio incrementum gratiæ,

cùm

cùm ſit aliquale meritum ; Si deficiat, remittiur pars pœnæ in Purgatorio ſuſtinendæ, quæ correſpondeat pœnæ jam perſolutæ. Quæ quidèm pœna, & ſatisfactio quãta ſit, nemini Viatori puto, citrà revelationem Dei ſpecialem, notum eſſe. Ità *Suarez diſp.* 38. *de pœnitentia ſect.* 2. *num.* 2. *Valent. tom.* 4. *diſp.* 7. *quæſt.* 14. *punct.* 4. *verſ. dico tamèn Vaſqu. de pœnitentia quæſt.* 94. *art.* 2. *dub.* 6. *num.* 3. *Regin. lib.* 7. *num.* 47. *Bonacc. de pœnit. tom.* 1. *diſp.* 5. *quæſt.* 5. *ſect.* 3. *punct.* 1. *num.* 2.

83 Rogabis ulteriùs, quinam ſit Miniſter hujus Sacramenti.

84 Reſpondeo, eſſe ſolum Sacerdotem *Tridentinum ſeſſione* 14. *Canon.* 10. qui etiàm in ſtatu peccati mortalis exiſtens validè abſolvit, juxtà *Tridentinum ibidem*.

85 Rogabis tertiò. An quilibet Sacerdos ſit Miniſter ſufficiens.

86 Reſpondeò negativè cùm *Tridentino ſeſſ.* 14. *cap.* 7. Ubi dicitur nullius eſſe momenti abſolutionem latam in aliquem, in quem abſolvens non habeat neque ordinariam, neque delegatam juriſdictionem. Et ratio eſt, quià hoc Sacramentum adminiſtrari debet in forma judicii, & nemo poteſt ſententiam ferre in non ſubditum :

87 Ordinariam autèm juriſdictionem ille habet, cui competit juriſdictio ratione officii, ùt Epiſcopo reſpectu ſuæ Diœceſis, Parocho reſpectu ſuæ Parochiæ.

88 Delegatam juriſdictionem habet, qui habet illam ex conceſſione habentis ordinariam, puta ex conceſſione Papæ, qui ubique habet ordinariam juriſdictionem, vel ex conceſſione Epiſcopi in ſua Diœceſi.

89 Advertendum tamèn eſt, quòd in caſu neceſſitatis, & articulo mortis, deficiente eo, qui habet ordinariam, vel delegatam juriſdictionem, quilibet Sacerdos

cerdos etiam excommunicatus, & degradatus poſſit à quibuſcumque caſibus, cenſuris, & noxis abſolvere *Text. in cap. eos qui de ſent. excom. in ſexto, & Tridentinum dicta ſeſſ.* 14. *cap.* 7.

90 Rogabis ultimò, quomodo ſit neceſſarium hoc Sacramentum lapſis poſt Baptiſmum in culpam lethalem.

91 Reſpondeo, neceſſarium eſſe neceſſitate medii, ſaltèm in voto, nempè in actu Contritionis elicito, ſi copia Confeſſarii haberi nequeat *Tridentinum ſeſſion.* 14. *cap.* 2.

TITULUS VI.

De Sigillo Sacramentali.

1 NE Confeſſio reddatur odioſa, Jure Divino obligatur Confeſſarius ad reticendum omnia peccata, quæ audivit à Pœnitente, itaùt in nullo caſu, neque ob ſalutem totiùs Reipublicæ liceat arctiſſimum hoc violare ſecretum *Suarez diſput.* 33. *de pœnitentia ſect.* 1. *nu.* 1. & 2. *Valent. tom.*4. *diſp.*7. *quæſt.*13. *punct.*1. *Henriqu. lib.* 6 *cap.*19. *num.*3. *Coninch. diſp.*9. *num.*4. & *dub.* 2. *num.* 34.

2 Oritur autèm hoc Sigillum ex omni, & ſola Confeſſione Sacramentali, qualis hic dicitur quælibet Confeſſio, quàm facit pœnitens ei, quem bona fide credit eſſe Sacerdotem in ordine ad abſolutionem recipiendam, etiamſi eam per accidens non recipiat, vel ex defectu diſpoſitionis in pœnitente, vel ex defectu pote-

poteſtatis in audiente, qui v. g. ſit laicus gerens ſe in morem Sacerdotis, vel ob aliàs ſimiles cauſas. Ità *Suarez diſputat.* 33. *citata ſect.* 2. *per totam Reginald. lib.* 3. *numer.* 6. *&* 16. *Coninch. de pœnit. diſputat.* 9. *numer.* 8. *Nugnus in addition. quæſt.* 11. *artic.* 1. *difficult.* 1. *Graſſius* 1. *part. deciſ. lib.* 1. *cap.* 23. *num.* 45. *Filliucc. dicto tract.* 7. *cap.* 11. *quæſtion.* 2. *num.* 319. *&* 222.

3 Quid ſi Titius confiteatur laico ſciens eſſe laicum, vel putans illum eſſe miniſtrum legitimum hujus Sacramenti, aùt teneri ad ſigillum?

4 Reſpondeo, Laicum tùnc teneri reticere audita ſigillo naturali, non autèm Sacramentali Confeſſionis; Ità *Coninch. loco cit. num.* 4. *Reginald. loco cit. num.* 5. *&* 67. *Henriqu. cap.* 21. *num.* 3. *litt. P. Valent. diſput.* 7. *quæſt.* 13. *punct.* 3. *Sanchez lib.* 3 *de matrim. diſp.* 13. *num.* 6. *Filliucc. loco cit. num.* 319. Quià cum hic error pœnitentis ſit error Juris, non refundit ullam obligationem in alterum ad ſecretum *Suarez ibidem num.* 2. *&* 3.

5 Sed pone Titium confiteri animo irridendi Confeſſarium, vel ad turpia ſollicitandi; tenebitur ne Confeſſarius ad obſervantiam ſigilli Sacramentalis;

6 Reſpondeo negativè, quià hujuſmodi confeſſio non eſt ſacramentalis, juxtà *Suarium ibidem num.* 6. *&* 7. *Suarez diſput.* 33. *ſect.* 3. *Henriquez lib.* 3. *cap.* 9. *num.* 8. *Molfeſ. tract.* 9. *cap.* 23. *num.* 27. *&* 54. *Coninch. loco citato num.* 7. *Onuphrium de Sacro Sigillo ſect.* 4. *quæſt.* 6. *verſ. ſequitur tertiò*.

7 Rogabis tamèn, quæ peccata ſub ſigillo ſervanda ſint à Confeſſario.

8 Reſpondeo. Omnia mortalia tàm in genere, quàm in ſpecie, & venialia in ſpecie tantùm. Quarè ſi dicat Con-

Confeſſarius; *Titius confeſſus eſt peccatum mortale*, vel *confeſſus eſt verbum otioſum*, frangit ſigillum, ſecus verò ſi tantùm inquiat *Titius confeſſus eſt peccatum veniale*. Ità *Suarez dicta diſputatione* 33. *ſect.* 3. *numer.* 9. *Coninch. loco cit. dub.* 1. *num.* 10. *Caſtropal. de Sacram. pænit. tract.* 13. *diſp. unic. de ſigill. punct.* 19. §. 2. *num.* 4. *Onuphr. loco citat. quæſt.* 2. *verſ. dixi ſecundò*. Ratio diſparitatis eſt: Quià certum eſt Confeſſarium dicentem Titium confeſſum fuiſſe, ſigillum non violare, ſed qui dicit Titium confeſſum fuiſſe aliquod veniale non plus dicit, quàm qui præcisè dicit Titium confeſſum fuiſſe: ergò &c. Eo enìm ipſo, quod dicitur Titium confeſſum fuiſſe dicitur confeſſum fuiſſe aliquod veniale; minùs enìm hoc eſſe non poteſt; Sed quià quamvìs ad confeſſionem requiratur aliquod peccatum, tamèn neceſſariò non requiritur hoc, vel illud veniale in ſpecie, ideò dicens Titium fuiſſe confeſſum aliquod veniale in ſpecie, puta verbum otioſum, frangit ſigillum.

9 Nec ſolùm peccata in confeſſione audita ſunt hujus ſigilli materia, ſed etiàm omnia, quæ in confeſſione dicuntur ad declaranda peccata, & ad illa reducuntur. Ità *Coninch. loco citat. num.* 4. *Suarez diſputat.* 31. *ſect.* 3. *Henriqu. lib.* 6. *cap.* 9. *num.* 8.

10 Rogabis ſecundò. An notitia Confeſſionis impediat Confeſſarium, quo minùs uti poſſit notitia aliundè accepta.

11 Reſpondeo, quod non, dummodò notitia Confeſſionis aliam non adjuvet, & ceſſet ſcandalum, ſeù ſuſpicio audientium, quod Confeſſarius peccata revelaverit. Adeòque ſi Parochus jam ſtatuerat ab Euchariſtica menſa arcere Concubinarium publicum, & hic metuens confiteatur Parocho concubinatum, poteſt

teſt etiàm audita confeſſione Parochus exequi, quod in illum ante confeſſionem exequi ſtatuerat, juxtà *Layman. lib.* 5. *Theolog. moral. tract.* 6. *cap.* 14. *num.* 3. *Sot. diſt.* 18. *quæſt.* 4. *artic.* 6. *Valent. tom.* 4. *diſput.* 7. *quæſt.* 13. *part.* 4.

12 Rogabis tertiò: An præter Confeſſarium hoc Sigillo alii ligentur.

13 Reſpondeo affirmativè, & dico hos eſſe illos, ad quos notitia Confeſſionis Sacramentalis, immediatè, vel mediatè, juſtè, vel injuſtè pervenit *D. Thom. in quartum diſtinct.* 21. *quæſtion.* 3. *art.* 1. *quæſtiuncula* 3. Quarè ait *Eminentiſs. de Lugo de Sacramento pænitentiæ diſputat.* 23. *ſect.* 2. *num.* 47. invenientem in Confeſſionali chartam, in qua alicujus peccata exarata ſint, probabile eſſe teneri ad Sigillum, quià illa charta inventa, eſt confeſſio adhuc manens.

14 Rogabis quartò. Plures in necem Confeſſarii conſpirarunt, parando v. g. illi venenum iniiciendum in vinum conſecrandum à Confeſſario celebrante; Unus ex illis fatetur hoc malignum conſilium eidem Confeſſario; Si Confeſſarius fugiat, à populo abſtineat, vel alio modo ſuæ ſaluti conſulat, facilè alii ſuſpicabuntur Titium illi conſpirationem initam in confeſſione aperuiſſe; Quæritur quid facere debeat.

15 Reſpondeo primò, poſſe Confeſſarium has inſidias vitare ex licentia revelantis, qui illam ipſi dare tenetur ſi pœnitentia ductus confitetur ex corde.

16 Reſpondeo ſecundò, quod ſi ipſe verè, & Sacramentalitèr confiteatur, nolitque hanc licentiam dare; neque fuga, neque alio modò Confeſſarius ſuæ ſaluti poteſt proſpicere, ſed potiùs mori tenetur, quàm vel indirectè confeſſionem revelare. Ità *Cardinalis de Lugo diſp.* 23. *de Sacramento pænitentiæ ſect.* 5. *nu.* 110.

Bonacc. de Sacram. pœnit. diſput. 5. quæſtion. 4. ſect. 5. punct.4. ſub num. 29. §. Sed contrarium .

17 Rogabis ultimò : An ſit ulla pœna afficiendus Confeſſarius ſigillum revelans .

18 Reſpondeo pœnam eſſe ſtatutam *in cap. omnis utriuſque de pœnitentiis* &c. nempè depoſitionem à Sacerdotali officio, & detruſionem in arctum Monaſterium ad agendam ibi perpetuam pœnitentiam ; Cęterùm alii præter Confeſſarium , qui paritèr ad Sacramentalis Sigilli obſervantiam obligantur , ſi hanc violent obligationem , ſunt pœnis arbitrariis à Judicibus Eccleſiaſticis coercendi .

TITULUS VII.

De Sollicitatione.

1 CUM occaſione explicati Sacramenti committatur hoc Crimen , de ipſo hic ponimus .

2 Diſponit igitùr *Gregorius XV. in Bulla* , quæ incipit *Univerſi* inter ſuas 34. = *quod omnes , & ſinguli Sacerdotes tàm ſæculares , quàm Regulares , qui perſonas , quæcumque illæ ſint , ad inhoneſta ſive intèr ſe , ſive cùm aliis quomodolibet perpetranda in actu Sacramentalis Confeſſionis , ſive antè , vel poſt immediatè , ſeù occaſione , vel prætextu Confeſſionis hujuſmodi , etiàm ipſa Confeſſione non ſequuta , ſive intrà occaſionem Confeſſionis in Confeſſionario, aùt in loco quocumque ubi Confeſſiones Sacramentales audiantur , ſimulantes ibidem Confeſſiones audire , ſollicitare , vel provocare tentaverint ,*

verint, aut cùm eis illicitos, & inhoneſtos ſermones, ſive tractatus habuerint, in Officio Sanctæ Inquiſitionis ſeveriſſimè, ùt infrà puniantur &c. Mandantes omnibus Confeſſariis, ùt ſuos pœnitentes, quos noverint fuiſſe ab aliis, ùt ſuprà ſollicitatos, moneant de obligatione denunciandi ſollicitantes, ſeù ùt præfertur, tractantes, Inquiſitoribus, ſeù Locorum Ordinariis: quod ſi hoc Officium prætermiſerint, vel pœnitentes docuerint, non teneri ad denunciandum Confeſſarios ſollicitantes, ſeù tractantes, ùt ſuprà. Iidem locorum Ordinarii, & Inquiſitores illos pro modo culpæ punire non negligant = hæc ſunt verba diſpoſitiva ejuſdem Bullæ adeò gravitèr irruentis in hoc ſcelus utpotè in nefarium Sacramenti abuſum, quo medio pro medicina venena, pro pane Aſpides porriguntur, ùt prægnantibus utar terminis Bullæ præfatæ.

3 Quæres autèm primò, quando dicatur ſollicitatio facta antè, vel poſt confeſſionem immediatè ùt inquit Bulla.

4 Reſpondeo primò. Ut dicatur Confeſſarium ſollicitare immediatè antè Confeſſionem non requiritur, quòd ſequatur Confeſſio, ſufficit ſi pœnitentem cujuſcumquè ſexus ad confitendum accedentem ſuadeat Venerem, & diſſuadeat à Confeſſione petita peragenda. Ità *Caſtropalaus part. 1. oper. moral. tract. 4. diſput. 9. punct. 7. num. 3. Souſa de ſollicitat. tract. 1. cap. 34. num. 39. Diana part. 4. tract. 5. reſol. 39. Trimarch. diſputatione 3. nu. 1. & Salelles lib. 1. reg. 133. num. 128.*

5 Reſpondeo ſecundò. Dicitur poſt Confeſſionem immediatè facta ſollicitatio, quando intèr confeſſionem, & ſollicitationem, nihil mediat, & pœnitens, ac Confeſſarius ad nullum extraneum actum divertuntur. Ità

Paramus de origine Inquiſitionis lib. 3. *quæſt.* 10. *nu.*47. *Souſ. loco cit. cap.* 18. *Salelles loco cit. num.* 133. *Diana loco cit. reſolut.*11.

6 Quæres ſecundò, quando dicatur ſollicitatio facta ſimulando confeſſionem.

7 Reſpondeo primo. Modum ſimulandi Confeſſionem hìc eſſe ſi pœnitens bono animo accedat ad Confeſſarium non animo confitendi, ſed aliud negocium tractandi, cùm tamèn ab iis, qui vident intelligatur confiteri; quo caſu ſi Confeſſarius illum inducere conetur ad actus venereos, tenebitur utique pœnitens ad normam relatæ Bullæ denunciare Confeſſarium, juxtà *Caſtropalaum ibidem numer.* 4. *Eſcobar. quæſt.* 4. §. 1. *numer.* 35. *Bordon. de ſollicit. in confeſſ. ſect.* 25. *numer.* 50. qui refert verba reſolutionis Sacræ Congregationis emanata ſuper hoc, *die* 10. *Julii* 1614.

8 Reſpondeo ſecundò. Quòd ſi Sacerdos non habens juriſdictionem abſolvendi, ſimulet ſe illam habere, & ità Confeſſiones excipiens pęnitentes alliciat ad venerem, ſit paritèr denunciandus, ne eludatur Pontificia Conſtitutio *Caſtropalaus ibidem punct.* 9. *nu.* 1.

9 Quæres tertiò: An Confitens Laico fingenti ſe Sacerdotem, & ab illo ſollicitatus ad venerem, teneatur eum denunciare.

10 Reſpondeo, quòd non ſit denunciandus vigore Bullæ ſupradictæ, quæ ſolùm loquitur de Sacerdotibus, non de illis, qui tales ſe fingunt, & quibus Confeſſio ſacramentalis fieri non poteſt: teſte *Caſtropala. ibidem num.* 5. *Bordon. loco cit. ſub num.* 101. *verſ. Reſpondeo non omnes*; Tamèn erunt denunciandi ex alia Bulla Gregorii XIII. lata contra eos, qui ſe Sacerdotes ſimulant, & ſub tali ſimulatione Confeſſiones excipiunt. TITU-

TITULUS VIII.

De Sacramento Extremæ Unctionis.

1 EXTREMA Unctio eſt *Sacramentum novæ legis per unctionem Olei benedicti, & Orationem Sacerdotis ad conferendam homini ægrotanti, ac de vita periclitanti ſalutem mentis, vel etiàm Corporis à Chriſto inſtitutum.*

2 Probabile eſt hoc Sacramentum fuiſſe inſtitutum à Chriſto Domino quando inſtituit Sacramentum Pœnitentiæ *Joan. cap.* 20. cùm hoc Sacramentum ſit conſummativum Sacramenti Pœnitentiæ, & quaſi includat poteſtatem remittendi peccata, ùt ſentit *Layman. lib.* 5. *Theolog. moral. tract.* 8. *cap.* 1. *num.* 2.

3 Promulgatum tamèn fuit hoc Sacramentum *à Divo Jacobo Apoſtolo*, ùt patet *ex ejus Epiſtola cap.* 5. ubi inquit: *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit Infirmum, & alleviabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit, remittentur ei.*

4 Ex quibus verbis infertur materiam remotam hujus Sacramenti eſſe oleum olivarum ab Epiſcopo benedictum, juxtà *Tridentinum Seſſ.* 14. *cap.* 1. *de Inſtitutione Sacramenti Extremæ unctionis.*

5 Ratio autèm cur oleo materiæ hujus Sacramenti non ſit miſcendum balſamum ſicuti miſcetur in Sacramento Confirmationis, eſt, quià balſamum ſignificat odorem

odorem bonæ famæ, quem per bona opera fideles baptizati, dum vivunt, præbere debent; oleum autem ſimplex, quod bonæ conſcientiæ tranquillitatem importat, ſufficit moribundis. Ità *Layman. loco citato cap. 2. num. 2.*

6 Materia verò proxima Sacramenti hujus eſt Unctio ſaltem quinque ſenſuum, ex quibus veluti ex fontibus emanant peccata. Quare oculi unguntur propter viſum, aures propter auditum, nares propter odoratum, os propter guſtum, manus propter tactum. Circà reliquas autem duas unctiones pedum videlicèt, ac renum ſervanda eſt cujuſcumque Eccleſiæ conſuetudo, cùm illæ non ſint de eſſentia Sacramenti, juxtà *Paludanum in 4. diſput. 23. quæſt. 3. art. 3. concluſ. 1. Caſtropal. de Sacram. Extremæ unctionis tract. 26. diſput. unic. punct. 3. num. 3. Suar. tom. 4. diſput. 40. ſect. 2. num. 6. Layman. lib. 5. tract. 8. cap. 2. ſub numer. 5. verſ. circa reliquas.*

7 Quod ſi ægrotus manibus careat, ungenda eſt caro ipſis propinqua; ſi oculis, ungi debet locus oculorum &c. quià etiamſi perpetuò viſu caruerit, potuit tamèn dicto ſenſu peccare ſecundùm concupiſcentiam videndi. Ità *S. Thom. cit. art. 3. ad 3. quæſt. 2. Suarez. diſput. 41. ſect. 2. in fine, & diſput. 42. ſect. 3. num. 5. Layman. lib. 5. tract. 8. cap. 2. §. penult. Sà in Summa verbo Extrema unctio num. 13.*

8 Fieri debent unctiones in ſignum Crucis, ſed non ex neceſſitate Sacramenti; ſicuti paritèr ad ejus validitatem non eſt neceſſe utramque manum ungere, utramque aurem &c. ſed ſufficit ſi una ex illis ungatur, quamvìs citrà neceſſitatem nequeant hæc licitè uſurpari contrà Eccleſiæ conſuetudinem *Layman. ubi ſupra cap. 2. num. 5. §. Sufficit quoque, & num. 7. Suar. diſput.*

diſput. 40. ſect. 2. num. 3. Filliucc. tract. 3. cap. 4. quæſt. 8. num. 75. Layman. loco citat. cap. 2. in fine Bonacc. diſput. 7. quæſt. unic. punct. 2. in fine .

9 Forma hujus Sacramenti conſtat ex verbis, deprecativis, ad differentiam formæ reliquorum Sacramentorum, quæ modo verborum indicativo conferuntur;
10 hæc ſiquidem ſunt verba formæ ſtatuta *in Concilio Florentino, in Decreto Eugenii §. Quintum Sacramentum* = *Per iſtam ſanctam unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid deliquiſti per viſum* = ſi ungantur oculi, *per odoratum*, ſi nares &c. ac idem dicas de ſingulis membris, quæ unguntur, in quorum qualibet unctione ſaltèm ex ne-
11 ceſſitate præcepti forma repetenda eſt. In Caſu enim neceſſitatis, v. g. ſi animam jàm jàm moribundus exhalet, itaùt non poſſint per ſingula membra unctiones peragi, poteſt breviloqua forma ità dici *Per has ſanctas Unctiones, & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid deliquiſti per viſum, auditum, odoratum, guſtum, tactum. Suarez. tom. 4. diſput. 41. ſect. 2. Filliucc. tract. 3. num. 129. Layman. loco citat. cap. 3. ſub num. 3. circà med. Bonacc. loco cit. punct. 3. ſub num. 4. in fine*.

12 Subjectum capax Extremæ Unctionis eſt ſolus homo baptizatus qui rationis uſum adeptus eſt, & ex morbo in vitæ diſcrimine conſtitutus. Ità DD. communitèr.

13 Dices: Ergò Amentibus non eſt miniſtrandum hoc Sacramentum, cùm non habeant uſum rationis.

14 Reſpondeo. Vel fuerunt ſemper amentes, & illatio ſubſiſtit, quià æquiparantur infantibus. Ità *Suar. diſput. 42. ſect. 1. numer. 3. Coninch. tom. 4. diſput. 19. dub. 7. concl. 1. & 2.* vel habito rationis uſu in amen-

tiam

tiam , aut phreneſim inciderunt , & debent ungi hoc Sacramento , dummodò ſaltèm interpretativè , dùm uſu rationis erant præditi , illud deſideraverint, ſi nimirùm chriſtianè vixerint , atque ſalutis propriæ memores fuerint ; quòd quidèm præſumitur, niſi contrarium notoriè , ac manifeſtè appareat . Ità *Paludanus in* 4. *diſtinct.*23. *quæſt.*3. *art.*2.

15 Infer ex dictis hominem debere vita periclitari proptèr infirmitatem ex morbo , peſte , vulnere, febri , veneno , vel ſimili cauſa intrinſeca procedentem , non autèm ſi mors illi inferenda ſit per violentiam extrinſecam , puta naufragium , gladium , ſuſpendium &c.

16 Quod tamèn periculum mortis ſufficit ſi ſit probabile , ùt Extrema Unctio conferri poſſit . Ità *D.Thom. in* 4. *diſtinctione* 23. *quæſtion.* 2. *artic.* 2. Qui ibidem ſentit cùm Theologis communitèr , quod ſi hoc Sacramentum fuerit ſemel collatum alicui in mortis periculo exiſtenti , durante eodem periculo non ſit iterùm conferendum , ſed ſi ægrotus meliùs ſe à dicto morbo habuerit , & poſteà denuò in novum mortis periculum incidat, denuò Extremam Unctionem poſſit ſuſcipere . Ità *S. Thom. loco citat. diſtinct.* 18.*quæſt.* 1. *artic.* 4. *quæſtion.* 2. *ad* 4. *Sylv. verbo Extrema Unctio num.*4.*Tabiena eodem verbo num.*9. *Armill. eodem verbo num.* 9. *Coninck. diſp.* 19. *dub.* 8.

Miniſter Sacramenti,de quo agitur eſt ſolus Sacerdos , & quivis ille ſit Sacramentum validè confert , ſed peccat mortalitèr ſi illud conferat , dùm non eſt proprius ægroti Paſtor , vel ab hoc habens licentiam *Sylv. & Armill. locis citatis num.* 4. *Tabien. ibidem numer.*5. *Sot. in* 4. *diſtinct.*23. *quæſt.*2. *artic.*1. *& Coninch. loco citat. dub.* 9. *num.* 28.

Quod

Digitized by Google

18 Quod limitationem patitur in caſu neceſſitatis,quo Paſtor abſit, nequeat, aut injuſtè nolit Sacramentum miniſtrare, & non poſſit adiri ejus Superior pro licentia obtinenda, quo caſu quicumque Sacerdos non excommunicatus, vel ſuſpenſus licitè illud valet conferre, quià in hoc caſu præſumitur à Superiore conceſſa licentia cuilibet. Ità *Layman. lib.* 5. *Theol. moral. tract.* 8. *cap.* 6. *num.* 2. §. *Excipiunt*, *Valent. tom.* 4. *diſput.* 8. *quæſt.* 1. *punct.* 2. *Reginald. lib.* 18. *num.* 404. *& lib.* 28. *num.* 61. *Suarez tom.* 4. *diſp.* 44. *ſect.* 2. *num.* 3.

19 Primus hujus Sacramenti effectus eſt abſtergere reliquias peccatorum tùm originalis, tùm actualium. Nomine reliquiarum peccatorum veniunt tepiditas, & torpor ille ex peccatis proveniens, & gravans Infirmi animam, præcipuè ad reſiſtendum illo vitæ puncto diabolicis infeſtationibus *D. Thom. in* 4. *diſtinct.* 23. *quæſt.* 2. *art.* 2. *Suar. diſput.* 41. *ſection.* 1. *Filliucc. tract.* 3. *cap.* 5. *quæſt.* 6.

20 Alius effectus eſt remittere aliquando peccata tùm mortalia,tùm venialia per alia Sacramenta non remiſſa; ùt ſi v. g. Parochus ſciat ægrotum eſſe conſcium peccati mortalis,quod ampliùs confiteri nequeat cùm phreneſi teneatur, poterit illi hoc Sacramentum conferre,dummodò probabiliter putet ipſum attritionem ſaltèm habuiſſe antè phreneſim. Inſtituit enìm Chriſtus Sacramentum iſtud ad abſtergenda etiàm peccata non remiſſa, ſi nullus jàm ſuppetat modus ea remittendi, ùt inquit *D. Jacobus* -- *& ſi in peccatis eſt, remittentur ei*, *Suar. loco citato ſeſſ.* 1. *numer.* 14. *Coninch. diſp.* 19. *dub.* 5. *concl.* 2. *& alii quos refert Caſtropal. de Sacram. Extrem. Unct. tract.* 25. *diſput. unic. punct.* 5. *ſub num.* 7.

21 Tertius effectus eſt parere etiàm ſalutem corporis, ſi expediat ſaluti animæ, juxtà *Concilium Florentinum loco citato, & D. Thom. communitèr receptum part.* 3. *quæſt.* 30. *art.* 2.

22 Et ultimus, ultrà gratiam ſanctificantem conferre auxilia ſpecialia ad obtinendum finem Sacramenti, quorum nempè ope reliquiæ peccatorum tollantur, & ægrotus excitetur ad ſpem, ſeù fiduciam erga Dei miſericordiam. *Valent.* 3. *parte diſput.* 8. *quæſt.* 1. *punct.* 3. *Filliucc. d. cap.* 5. *Suar. diſput.* 41. *ſect.* 1. *& alii communitèr.*

23 Quæres autèm: an ſit neceſſarium hoc Sacramentum ad conſecutionem æternæ ſalutis.

24 Reſpondeo, per ſe loquendo non eſſe neceſſarium ex capite ullius præcepti ejus ſuſceptionem imperantis. Ità *D. Thom. in* 4. *dicta diſtinct.* 23. *quæſt.* 2. *artic.* 2. Excepto caſu, quo ægrotus nullum aliud Sacramentum poſſit ſuſcipere, & de ſua contritione dubitet; tunc enìm obligatus eſt Extremam Unctionem accipere, ne animam ſuam damnationis periculo exponat, juxtà *Paludanum in* 4. *diſtinct.* 23. *quæſt.* 1. *artic.* 3. *concluſ.* 3.

25 Cœterùm ſine cauſa, & ob ſolam negligentiam ejus ſuſceptionem prætermittens venialitèr peccare videtur, cum ſit quædam prodigalitas bonorum ſpiritualium, juxtà *Coninch. loco cit. dub.* 10. *concluſ.* 1.

26 Quod ſi quis hoc Sacramentum ob contemptum non ſuſcipiat, vel renuens illud ſine cauſa juſta ſuſcipere, ſcandalum ingerat adſtantibus, dubio procul mortalitèr delinquet, juxtà *Layman. ubi ſupra cap.* 7. *num.* 2. *Suar. tom.* 4. *diſp.* 44. *ſect.* 1. *Henriq. lib.* 3. *c.* 10. *num.* 3. *Sà v. Extrema Unct. num.* 5. *Coninch. loco cit. & Filliucc. loco cit. num.* 112.

TITU-

TITULUS IX.

De Sacramento Ordinis.

1 ORdo, ſeù ſacra ordinatio ipſa, quæ propriè Sacramentum eſt, definitur -- *Actio conſecratoria, qua gradus alicujus poteſtatis ad Altaris Miniſterium alicui confertur*.

2 Septem ſunt Ordines, quorum tres majores vocantur, nempè Subdiaconatus, Diaconatus, & Sacerdotium; Reliqui quatuor dicuntur minores, ſcilicèt
3 Acolithatus, Exorciſtatus, Lectoratus, & Oſtiariatus, ſicuti definivit *Concil. Trident. ſeſſ.* 23. *cap* 2. *&* *Can.* 2. Prima Tonſura autèm eſt diſpoſitio, ſeù fundamentum Ordinis, non autèm ordo, cum ſit nuda adoptio perſonæ in Clericum, abſquè ullius Miniſterii poteſtate, per quam talis perſona in gradu, ſeù ordine aliquo conſtituatur *Franciſc. de Magiſt. in Sylv. Eccleſ. part.* 2. *lib.* 2. *tit.* 2. *cap.* 6. *fol.* 219.

4 Quod ſi quæras an Epiſcopatus ſit Ordo diverſus à Sacerdotio, varia varii ſentiunt DD.

5 Ut eos igitur conciliemus, arridet maximè ſententia afferens, quod ſi Epiſcopatus accipiatur completè includat neceſſariò Sacerdotium, & conſequentèr ab illo non diſtinguatur, ſed benè illud perficiat, & compleat; Si verò Epiſcopatus incompletè accipiatur, quatenùs dicit poteſtatem ordinandi, & confirmandi ſuperaditam Sacerdotio, poſſit dici ordo diverſus ab illo, ſed tùnc Epiſcopatus adequatè non ſumetur. Ità *D. Thom.* 3. *part. quæſt.* 40. *artic.* 5.

Bellarm. de Sacram. Ord. cap. 5. Coninch. diſput. 20. dub. 2. in fine, Layman. lib. 5. tract. 9. cap. 3. num. 6. Caſtropal. de Sacram. Ordin. tract. 27. diſputat. unic. punct. 2. num.6. Nugn. 3.part. quæſt.37. & 40.num.7. Riginald. lib. 3.tract.5. Filliucc. tract.9. cap.1. quæſt.9. num. 11. Henriq. lib.10. cap.2. & Vaſq. 3.part. tom.3. diſput. 240. cap. 5.

6 Jàm verò materia cujuſcumque Ordinis duplex eſt, remota,& proxima; Prima conſiſtit in illis rebus,quæ ab Epiſcopo traduntur ſuſcipienti aliquem Ordinem; Altera conſiſtit in ipſamet traditione illarum rerum : Forma verò ſunt verba illa, quæ in collatione cujuſvis Ordinis, & traditione debitæ materiæ profert Epiſcopus Ordinans. Ità *DD. citati*.

7 Igitur materia Oſtiariatus eſt traditio Clavium Ec-
8 cleſiæ; forma ſunt verba, quæ in porrectione Cla-
vium Epiſcopus profert = *Sic agite quaſi reddituri*
Deo rationem pro iis rebus, quæ his Clavibus recluduntur;
9 Officium ſiquidem Oſtiarii eſt Templi claves cuſtodi-
re, ejus januam claudere,& aperire, dignos admittere,
& indignos àb Eccleſia excludere, Cymbalum,& Cam-
panam pulſare, ſicuti habetur in Pontificali Romano.

10 Materia Lectoratus eſt Traditio libri Prophetia-
11 rum; Forma verò = *Accipite, & eſtote verbo Dei re-*
latores, habituri, ſi fidelitèr, & utilitèr compleveritis
Officium veſtrum, partem cum iis, qui verbum Dei benè
12 *adminiſtraverunt ab initio*. Porrò officium Lectoris
eſt Prophetias in Eccleſia, vel legere, vel canere,
& Cathecumenos docere rudimenta Fidei.

13 Exorciſtatus materia eſt, traditio libri Exorciſmo-
14 rum, forma verò hæc = *Accipite, & commendate me-*
15 *moriæ, & habete poteſtatem imponendi manus ſuper E-*
nergumenos, ſive baptizatos, ſive Cathecumenos -- Exor-

ciſtæ

ciſtæ verò munus eſt imponere manus ſuper obſeſſis
à Dæmone, & invocare nomen Domini ſuper illis ad
arcendos Dæmones eos infeſtantes, legere Exorciſ-
mos Eccleſiæ, illoſque ità præparare, ut poſſint ſa-
cris intereſſe.

16 Reliqui Ordines duplicem habent materiam, &
formam partialem conſtituentem unam adæquatam
materiam, & formam.

17 Ac primò quidèm Acolythatus una materia eſt tra-
ditio Candelabri unà cum Cereo extincto, cum ſe-
quenti forma, *Accipite Candelabrum cum Cereo, ùt
ſciatis vos ad accendenda Eccleſiæ luminaria mancipa-*
18 *ri in nomine Domini Amen*. Altera partialis materia
eſt traditio Urceoli vacui cum hac forma -- *Accipite
Urceolum ad ſuggerendum Vinum, & Aquam in Eu-
chariſtiam Sanguinis Chriſti in nomine Domini Amen*.
19 Siquidem Acolythorum officium eſt luminaria præpa-
rare ad Sacrificium, deferre Cereum accenſum ad
Altare, præcipuè dùm Evangelium in Miſſa canitur,
itemque ampullas Vini, & Aquæ ad Miſſæ Sacrificium
præparare, & Subdiacono porrigere.

20 Ità paritèr una materia Subdiaconatus eſt traditio
21 Calicis vacui cum patena vacua; forma autèm talis
= *Videte cujus miniſterium vobis traditur, ideò vos ad-*
22 *moneo, ùt ità vos exhibeatis, ùt Deo placere poſſitis* = Alia
materia inadæquata, eſt traditio libri Epiſtolarum ſub
hac forma = *Accipite librum Epiſtolarum, & habete po-*
23 *teſtatē legendi eas in Eccleſia Sancta Dei &c.* Munus Sub-
diaconi exigit Calicem, & Patenam ad uſum Sacrifi-
cii præparare, & ad Altare deferre, & Diacono in
Altaris miniſterio inſervire, in Miſſa Epiſtolam cum
Manipulo ſolemnitèr cantare, Pallas Altaris, Corpo-
ralia, Calices, & Patenas abluere, ipſamque lotionis
Aquam

Digitized by Google

Aquam in Sacrarium fundere, aliaque juxtà Rubricas
Miſſalis in Sacrificio Miſſæ peragere.

24 Una Diaconatus materia eſt impoſitio manuum
Epiſcopi cùm hac forma = *Accipe Spiritum Sanctum*
ad robur, & ad reſiſtendum Diabolo, & tentationibus
25 *ejus in nomine Domini* = Alia eſt traditio libri Evan-
geliorum ſub ſequentibus verbis = *Accipe poteſtatem*
legendi Evangelium in Eccleſia Dei, tam pro vivis, quàm
26 *pro defunctis in nomine Domini Amen.* = Munus Dia-
coni ſtat in aſſiſtentia immediata præſtanda Sacerdo-
ti celebranti, in miniſtrandis illi pane, & vino pro
Euchariſtiæ confectione, in canendo Evangelio ſo-
lemnitèr cùm ſtola, & aliis exercendis juxtà Miſſalis
Rubricas.

27 Presbyteratus una materia eſt traditio Calicis cùm
vino, & Patenæ cùm Hoſtia ſuperpoſita cùm hac ver-
borum forma = *Accipe poteſtatem offerendi Sacrificium*
Deo, Miſſaſque celebrandi, tàm pro vivis, quàm pro de-
28 *functis in nomine Domini* = Alia materia eſt impoſitio
manuum Epiſcopi ſuper Capite ordinandi, cùm ſe-
quenti verborum forma = *Accipe Spiritum Sanctum,*
quorum remiſeris peccata remittuntur eis, & quorum
29 *retinueris retenta ſunt* = Sacerdotis munus eſt confi-
cere Corpus, & Sanguinem Chriſti, abſolvere pœni-
tentes à peccatis accedente legitima juriſdictione,
alia Eccleſiæ Sacramenta, exceptis Confirmatione, &
Ordine, dignis adminiſtrare, populum Dei opere, do-
ctrina, & exemplo paſcere, ejuſdemque neceſſitates
ferventibus precibus Deo commendare, aliaque pie-
tatis opera impenſiùs exercere.

30 His præmiſſis rogabis primò, quodnàm ſit ſubje-
ctum capax Ordinationis.

31 Reſpondeo, eſſe ſolùm marem baptizatum, non au-

tèm

Digitized by Google

tèm fœminam, quòd eſſe de fide ait *D. Thom. in* 4. *diſt.* 25. *quæſt.* 2. *art.* 1. de quo vide dicta *in prima part. tit.* 1. *num.* 3. *& pluribus ſeqq.*

32 Rogabis ſecundò, quæ ætas requiratur ad ſingulos ordines ſacros ſuſcipiendos.

33 Reſpondeo. Ad Subdiaconatum requiritur vigeſimus ſecundus Annus; Ad Diaconatum vigeſimus tertius; Ad Sacerdotium vigeſimus quintus *ex Triden. ſeſſ.* 23. *cap.* 12. *de reformatione*, quos tamèn Annos ſufficit fuiſſe inchoatos.

34 Miniſter ordinarius hujus Sacramenti eſt ſolus Epiſcopus, qui etiàm excommunicatus, hæreticus, & degradatus validè illud confert, ex *D. Thom. in quartum diſt.* 25. *quæſt.* 1. *art.* 2. *Sot. in* 4. *diſt.* 25. *quæſt.* 1. *art.* 10. *Coninch. diſput.* 20. *dub.* 6. *Henriqu. loco cit. Vaſqu. diſput.* 245. *&* 246. *ac Filliucc. ibid. quæſt.* 1. *num.* 92.

35 Ut autèm licitè ad Ordines quis promoveatur, debet promoveri ad illos ab Epiſcopo proprio, qui in præſenti materia triplex eſt.

36 Primus eſt Epiſcopus originis, Diœceſis nempè, in qua natus fuerit ordinandus.

37 Adverte tamèn, quòd ſi Mater iter habens, vel negocium aliquod peractura in aliquo loco brevem agat moram, ibique filium pariat, non ſit Epiſcopus illius loci Epiſcopus originis talis pueri, juxtà *Abbatem in cap. Rodulphus de reſcriptis num.* 9. *& ibi Felin. num.* 13. *Guttier. conſ.* 7. *num.* 7. *Navarr. conſ.* 31. *de tempor. ordinat. Henriqu. lib.* 10. *cap.* 21. *numer.* 1. *Barboſ. de offic. & poteſt. Epiſc. alleg.* 4. *num.* 18.

38 Secundus Epiſcopus proprius, eſt Epiſcopus Domicilii, loci ſcilicèt ubi habitat ordinandus; Quòd ſi
39 conſtet illum habitaſſe animo manendi ibi perpetuò,
40 illicò contraxiſſe dicitur ibidem Domicilium; ſi verò

conſtet

Digitized by Google

conſtet hunc animum non habere, nunquam ibi domicilium contrahet; Et ſi demùm dubium ſit an habuerit hunc animum, nonniſi per lapſum decennii in illo loco domicilium acquiret. Sententia eſt communis *cùm Gloſ. in l.* 2. *&* 3. *C. de Incolis lib.* 10. *Bonacin. de Sacramen. Ordin. diſput.* 8. *quæſt. unic. punct.* 4. *num.* 12. *Henriqu. lib.* 10. *cap.* 22. *numer.* 2. *Caſtropal. tract.* 27. *diſput. unic. punct.* 20. *ſub. num.* 3. §. *At ſecluſa, ergà med.*

41 Tertius Epiſcopus proprius ordinandi eſt Epiſcopus Beneficii, ideſt illius Diœceſis, in qua quis poſſidet Beneficium Eccleſiaſticum, eſtò alibi inhabitet *Bonacin. loco cit. num.* 14. *Caſtropal. loco cit. num.* 5. *& DD. prœallegati.*

42 Verùm quidèm, eſt quòd obtentis Epiſcopi proprii dimiſſoriis, poſſit etiàm non ſubditum quilibet Epiſcopus licitè ordinare. *Vide Text. in cap. cùm nullus,*
43 *de temporibus ordinationum in ſexto*. Et hujuſmodi literæ dicuntur *dimiſſoriæ*, eo quià illis Epiſcopus dimittat ſubditum ad alium Epiſcopum; ùt ab ipſo ordinari queat.

44 Has verò literas Capitulum ſede vacante nequit concedere intrà Annum à die vacationis, niſi illi, qui vigore Beneficii Eccleſiaſtici recepti, vel recipiendi occaſione compulſus fuerit Ordines ſuſcipere *Tridentinum ſeſſ.* 7. *cap.* 10. *de reformatione.*

45 Ulteriùs Regulares, ſi habeant literas ſuorum Superiorum ordinari poſſunt ab Epiſcopo loci illius, in quo morantur.

46 Epiſcopus autèm ordinans non ſubditum *à Triden. ſeſſ.* 23. *cap.* 8. *de reform.* ſuſpenditur per Annum à collatione Ordinum, & ità ordinatus ab eorum exercitio, donèc ſuo proprio Epiſcopo videbitur.

Scien-

47 Sciendum nunc Clericum ſacros Ordines ſuſcipientem debere habere, vel Beneficium, vel patrimonium, vel penſiones, quæ ſufficiant ad ejus vitæ ſubſtentationem, & ad quorum titulum ordinetur, ne cogatur cùm Ordinis dedecore mendicare, aut ſordidum aliquem quæſtum exercere, ùt inquit *Tridentinum ſeſſ. 21. cap. 2. de reformat.* Et hæc bona patri-
48 monialis in qua debeant eſſe quantitate ſpectat ad Epiſcopum arbitrari, juxtà majorem, vel minorem locorum ubertatem; Certùm autèm eſt illa debere
49 eſſe certa, immobilia nulli obligata, & fructifera;
50 Nec illa Beneficiatum alienare poſſe, niſi priùs ejus ſubſtentationi per Beneficium Eccleſiaſticum, vel aliundè proviſum ſit, ad mentem *Tridentini citata ſeſſ. 21. cap. 2. in fine, Azor. inſtit. moral. part. 2. lib. 3. cap. 4. quæſt. 7. Ugolin. de poteſt. Epiſc. cap. 26.* §. 10. & aliorum quos refert, & ſequitur *Barboſ. de offic. & poteſt. Epi-*
51 *ſcopi part. 2. alleg. 19. num. 54. & 55.* Adeòque hujuſmodi bona patrimonialia, neque hypothecari poſſunt, quià nomen alienationis alienationem quacumque ratione factam complectitur *l. fin. C. de reb. alienis non alienandis.*

52 Rurſus non poteſt quis ordinari ad id, quod propria induſtria, vel honeſto officio eſt lucraturus, v.g. quià ordinandus ſit Muſicus, Pictor &c. *Conſule Pirhing. lib. 1. Juris Canonici tit. 11. ſect. 1. §. 8. nu. 74.*

53 Quòd ſi Epiſcopus aliquem ſacris inſigniverit ordinibus, qui nec Beneficium habeat, nec penſionem, nec patrimonium, de neceſſariis ipſi providere debet, donèc aliquem titulum, ex quo vivere queat, obtinuerit. Ità inſignis *Gloſ. verbo neceſſaria in cap. Epiſcopus de præbend. & dignitat. ibique Abb. numer. 1. Ripa lib. 1. reſp. cap. 14. num. 7. Menoch. de arbitr. caſ. 169. nu. 14.*

& *caſ.* 520. *poſt numer.* 10. *Ugolinus loco citato* §. 15. *num.* 1.

54 Excipe tantùm Religioſos profeſſos,qui promoventur ad ſacros Ordines ex ſolo titulo religioſæ paupertatis *ex Bulla Pii V. incipiente Romanus Pontifex*, &
55 Religioſos Societatis Jeſu, qui *ex Bulla Gregorii XIII.* etiàm ſi profeſſi ſolemnitèr non ſint, dummodò poſt biennium Novitiatus tria vota ſimplicia emiſerint, poſſunt ad ſacros Ordines aſcendere ſine alio titulo, non ſecùs, ac profeſſi aliarum Religionum.

56 Redeundo jàm ad ordinandos, dico primò, prærequiri confirmationem, ùt quis prima etiàm tonſura nòn validè, ſed licitè initietur *Tridentinum ſeſſ.* 23. *cap.* 4. *de reformatione*.

57 Dico ſecundò, requiri etiàm ſcientiam, ſed variam, & reſpondentem variis Ordinibus ſuſcipiendis; ſiquidèm initiandus prima tonſura debet juxtà *Tridentinum ſeſſ.* 24. *cap.* 4. *de reformatione* ſcire rudimenta
58 fidei, legere,& ſcribere. Ordinandos autèm minoribus Ordinibus jubet *Tridentinum ibidem cap.* 11. *de reformatione* debere ſaltem intelligere linguam latinam. Subdiaconatus, & Diaconatus juxtà *Tridentinum ibidem cap.* 13. exigit, quòd ordinandi ſint inſtructi literis, & iis, quæ ad Ordinem ſuum exercendum perti-
59 nent. Promovendi autèm ad Sacerdotium vult *ibid. cap.* 14. quòd habeant eam ſcientiam, qua poſſint docere populum ea, quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem obtinendam, & inſuper ſciant miniſtrare Sacramenta.

60 Scias jàm, ùt habetur ex *cap. unico de Clerico per ſaltum promoto*, quòd nequeat ſuſcipi ſine gravi peccato Ordo ſuperior, v.g. Diaconatus, priùs non ſuſcepto Subdiaconatu, aliiſque Ordinibus inferioribus,

ſicuti

ſicuti enim leges Civiles natura duce, apud quàm moris eſt à minimis ſemper incipere, ſtatuerunt gradatìm eſſe in humana politia ad honores, & dignitates aſcendendum *l. gradatim, & l. honor §. Munus verſic. gerendorum ff. de muneribus, & honoribus*; Ità pariter in Hierarchia Eccleſiaſtica conſentaneum eſt, aliquem priùs inferiores Ordines debere decurrere, quàm ad ſuperiores pervenire.

61 Jàm verò primus effectus cujuſcumque Ordinis eſt conferre gratiam ſecundam unà cùm auxiliis neceſſariis, ad ritè exercendum munus annexum tali Ordinis, cùm Ordo ſit Sacramentum vivorum *Tridentinum ſeſſ. 23. Can. 3.*

62 Secundus effectus cujuslibet Ordinis eſt imprimere ſpecialem characterem correſpondentem Ordini collato *Trident. loco citato Can. 4. Vaſqu. loco cit. diſp. 243. & 244. Coninch. diſp. 30. dub. 8. Henriqu. lib. 10. cap. 1. & cap. 14. nu. 2. Bellarm. 1. part. controverſ. lib. 4. cap. 10. Filliucc. dicto tract. 9. cap. 3. quæſt. 2. & ſequen.*

63 Tertius effectus eſt, ſpecialis poteſtas aliquid in Eccleſia peragendi, quæ cuicumquè Ordinato conceditur, v.g. Sacerdoti conſecrandi, Diacono legendi Evangelium &c.

TITULUS X.

De Sponſalibus.

1 Cum Sponſalia Matrimonio præmittenda ſint, ideo de Matrimonii Sacramento acturi, futuræ illius notitiæ præſentem Sponſaliorum præmittimus.

2 *Sponſalia dicta ſunt à ſpondendo, nam moris fuit veteribus ſtipulari, & ſpondere ſibi uxores futuras* = Uſurpatus ſui Ulpiani verba *in l. 2. ff. de ſponſal.*

3 Hæc autèm Sponſalia alia ſunt de præſenti, quæ impropriè dicuntur ſponſalia, cùm nil aliud ſint, quàm matrimonium ratum, & non conſummatum, de quo in ſequenti titulo; Alia ſunt de futuro, quæ propriè dicuntur ſponſalia, *& ex l. 1. ff. dicto tit.* definiuntur = *promiſſio mutua futurarum nuptiarum* = Ex qua definitione infertur ſponſalia recenſenda eſſe inter contractus oneroſos, qui ultrò citròque obligationem pariunt.

4 Quarè poteſt, ac debet plerumque Judex Eccleſiaſticus unum ex Sponſis, altero invito ſine juſta cauſa à ſponſalibus reſilire volentem poſt canonicam monitionem adhibitam cenſuris Eccleſiaſticis cogere ad promiſſæ fidei liberationem *Text. eſt in cap. ex literis, hoc titulo Covar. de ſponſal. part. 1. cap. 4. num. 2. Sanch. de Matrim. lib. 1. diſput. 5. Leſſ. de Juſt. & Jur. lib. 2. cap. 10. dub. 3. num. 20. Rebell. de obligat. Juſt. lib. 2. de matrim. quæſt. 11. num. 13. Cardin. Tuſch. liter. M. concluſ. 126. & liter. S. concluſ. 403. num. 29. Rota cor.*

Caval.

Caval. deciſ. 415. *&* 421. *per tot. cor. Ludoviſ. ibiquæ Beltram. deciſ.* 326. *per tot. coram Seraph. deciſ.* 1112. *num.* 1. *deciſ.* 263. *per tot. part.* 9. *& deciſ.* 19. *per tot. part.* 10. *recent.*

5 Sed videtur aſſertionem hanc infringere textus in *cap. requiſivit eodem titulo*, ubi dicitur mulierem, quæ Sponſalia jurata contraxit, nubere renuentem monendam eſſe potiùs, quàm cogendam.

6 Duplici modo reſpondetur huic objectioni, & utraque reſponſio eſt probabilis.

7 Primò ait *Gloſ. in dicto cap. requiſivit in fine*, quòd ly *potiùs* idem importet, ac *priùs* ideſt priùs ſponſam renuentem nubere, monendam eſſe, & poſtea cogendam.

8 Secundò. Reſpondet *Layman. lib.* 5. *Theologiæ moralis tract.* 10. *cap.* 1. *num.* 4. *in fine*, quòd textus objectus procedat in caſu, quo Superior Eccleſiaſticus agnoſcat ſe cenſuris nihil operaturum fore in ſponſum renuentem, quo caſu ſatiùs eſt minus malum violatæ promiſſionis permittere ad majùs malum coacti matrimonii vitandum.

9 Quòd ſi quæras, quæ ætas requiratur ad valida ſponſalia contrahenda,

10 Reſpondeo ſufficere eam ætatem, in qua contrahentes habeant rationis uſum, & liberi arbitrii: *Sanchez lib.* 1. *de matrimonio diſp.* 16. *nu.* 8. *Sot. in* 4. *diſt.* 27. *quæſt.* 1. *art.* 2. *Coninch. de matrim. diſput.* 11. *dub.* 5. *num.* 52. *Reginald. lib.* 31. *num.* 248. *Card. Tuſch. lib.* 7. *concluſ.* 403. *num.* 12. ubi refert *Bald. conſil.* 41. Si verò

11 dubium ſit an uſum rationis habeant, poſt expletum ſeptennium tàm mas, quàm fœmina habiles cenſentur ad contrahenda ſponſalia *cap. literas*, *& cap. ad*

12 *diſſolvendum de deſponſatione impuberum*. Et ſi ſeptennio

nio tranſacto ætas rationis non advenerit, nequeunt ſponſalia valida contrahi, quia præſumptio Juris cedit veritati.

13 Verùm tamèn eſt quod ſponſalia irrita ob defectum rationis in utroque, vel uno contrahente, adveniente rationis uſu per ratificationem expreſſam, vel tacitam convaleſcant *Gloſ. in dicto cap. literas* in verbo *placere conſueverint*.

14 Jàm verò multiplicitèr ſponſalia diſſolvuntur; & primò, cùm per mutuum ſponſi, & ſponſæ conſenſum ea celebrentur, mutuo etiàm eorumdem diſſenſu ſolvuntur, juxtà *Text. in cap. 2. hoc titulo*. *Nihil* enim *tàm naturale eſt, quàm eo genere quidquam diſſolvi, quo colligatum eſt* = ſunt verba *Text. in l. 31. ff. de reg. Juris*.

15 Et hæc concluſio militat etiàm in ſponſalibus juratis; Juramentum enim ſortitur conditiones actus, cui apponitur *cap. quemadmodum de jurejurando Leſſ. lib. 2. de Juſt. & Jur. cap. 42. dub. 12. num. 57. Sà ver. ſponſalia num. 1. Sanch. lib. 1. diſp. 52. num. 8. & in ſumma lib. 3. cap. 20. Rot. deciſ. 185. num. 8. part. 14. recentior.*

16 Secundò ſolvuntur ſponſalia per hoc quod alter ex ſponſis in Religione aliqua profiteatur; hoc enim modò etiàm matrimonium ratum diſolvitur, ùt habetur in *cap. ex publico de converſione Conjugatorum*, & aſſerunt *Sanch. lib. 1. diſpùt. 42. num. 5. ac Henriqu. lib. 11. cap. 14. num. 3.*

17 Imò hoc ipſo, quod unus ex ſponſis Religionem ingrediatur, quamvìs non emiſerit profeſſionem in illa, erit liber ſponſus in ſæculo remanens ad contrahendum Matrimonium cùm alia perſona. Quià ſponſus ingrediendo Religionem eo ipſo ſignificat ſe voluntatem

tem

tem mutaſſe, & renunciaſſe ſponſalibus *Sot. in* 4. *diſtinctione* 27. *quæſtione* 2. *art.* 5. *Sanch. & Henriqu. locis cit.*

18 Tertiò ſolvuntur ſponſalia per votum Religionis ingrediendæ, & profitendæ emiſſum ab altero ex ſponſis, juxtà *Henriquez lib.* 11. *cap.* 14. *num.* 4.

19 Quod tamèn limitatur non procedere, ſi ſponſa ſpe matrimonii cognita, & fortè gravida facta fuerit; tùnc enim hujuſmodi votum, cùm cedat in grave ſponſæ detrimentum, & infamiam, obligatorium non eſt, juxtà *Henriqu. ibidem num.* 13. *Sanchez loco citato diſput.* 44. *num.* 7. *&* 8. *Leſſ. lib.* 2. *cap.* 10. *dub.* 4. *Filliuc. tract.* 10. *cap.* 8. *quæſt.* 5. *num.* 28.

20 Quartò Sponſalia etiàm jurata ſolvuntur per fornicationem unius ex ſponſis *Text. in cap. quemadmodum, de jurejurando Sanchez dicto lib.* 1. *diſputat.* 55. *Card. Tuſch. tom.* 5. *concluſ.* 126. *num.* 1. *Menoch. loco citato lib.* 5. *caſ.* 455. *num.* 5. *Covar. in Epitome de ſponſal.* 3. *part. cap.* 5. *numer.* 2. *Filliucc. loco citato quæſt.* 7. *numer.* 288. *Reginald. loco citato num.* 262. *Coninch. loco citato diſput.* 23. *dub.* 7. *Henriquez loco citato num.* 6. *Gibalin. de univerſ. negotiat. tom.* 2. *lib.* 4. *cap.* 1. *conſect.* 3. *& Rota deciſ.* 19. *part.* 10. *recentior. per tot.* Fidem enim frangenti fides ſervanda non eſt.

21 In hoc autèm caſu ſolvuntur ſponſalia ex parte ſponſi innocentis, non rei, qui ad nuptias contrahendas cogi poteſt ne reportet commodum ex propria iniquitate *Henriquez loco citato*; *Sanchez loco citato num.* 6. *Guttier. cap.* 31. *num.* 2. *Reginald. & Coninch. locis citatis.*

22 Quintò ſi Sponſus in alienam Terram domicilium mutaturus ſe transferat, Sponſa liberatur à ſponſaliorum promiſſione, tùm quià ità diſcedens videtur renunciaſſe

Digitized by Google

nunciaſſe ſponſalibus, tùm etiàm quià ſponſa non cenſetur ſe obligare voluiſſe ad ſequendum Virum ità vagantem. Vide *Text. in cap. de illis hoc tit. ibique Gloſ. Coninch. diſput.* 23. *dub.*6. *num.*50. *Guttier. cap.*3. *num.*6. *Reginald. lib.* 3. *num.* 261. *Sanch. lib.*1. *diſp.*54. *Filliucc. loco cit. quæſt.* 9. *num.* 294.

23 Sextò ſolvuntur ſponſalia etiàm jurata, ſi grave aliquid ſuperveniat, quòd ſi ab initio extitiſſet, vel notum fuiſſet abſtinuiſſet à ſponſalibus ineundis. Juxtà *Abbatem in cap. quemadmodum de jure jurando numer.* 10. Intentionem enìm ſpondentis non eſt præſumendum ſe extendiſſe ad talem caſum valdè difficilem,
24 v. g. ſi ſponſus, vel ſponſa lepra, paralyſi, morbo gallico, epileptico, vel ſimili incurabili corripiatur, vel ſi oculi, naſi amiſſionem, vel notabilem aliquam cor-
25 poris deformitatem incurrat; Vel ſi alter ex ſponſis gravem famæ, vel bonorum jacturam paſſus fuerit, vel graves inter ipſos, vel eorum conſanguineos ori-
26 antur inimicitiæ; aut demùm ſi ſponſa promiſſam dotem afferre nequeat, vel ſponſus domicilium mutare, aut vagari ſtatuerit cùm incommodo ſponſæ. Ratio eſt, quià ſponſalibus ex ſuapte natura, & Eccleſiæ praxi ſummam animorum libertatem exigentibus, hæc tacita conditio ſubintelligitur adjecta *Si res in eodem ſtatu permaneant*, juxtà *Layman. citato lib.* 5. *tract.* 10. *part. prima cap.* 2. *num.* 18. *Sanch. loco citato diſput.* 57. & 62. *num.*2. *Tuſch. concluſ.* 126. *numer.* 6. *Guttier. cap.* 33. *num.* 8. *Filliucc. loco citato quæſtion.* 4. *num.* 7. & 8.

27 Notandum tamèn, quòd ſi ſponſus cognita cauſa, quàm habet à ſponſalibus reſiliendi, nihilominùs ſponſam carnalitèr cognoſcat, cenſeatur tacitè renunciare juri ſuo, & ſponſalia ratificare *Layman. ibidem num.* 20. & *DD. laudati*. Septi-

28 Septimò ſolvuntur ſponſalia , ſi ſponſus cùm alia matrimonium , etiàm injuſtè contraxerit . Quià quando duæ obligationes ſunt ejuſdem rationis, obligatio fortior ſuperveniens extinguit obligationem præcedentem minùs robuſtam *cap. ſicut ex literis* , *cap. ſi inter virum* , *& cap. adoleſcens hoc tit. Sanchez lib.* 1. *diſput.* 48. *Henriquez loco citato num.* 5. *Leſſ. loco citat. cap.* 40. *num.* 74. *Coninch. loco citato dub.* 4. *num.* 18. *Guttier. cap.* 47. *numer.* 1. *Menoch. loco citato num.* 9. *Filliucc. quæſt.* 1. *num.* 271.

29 Pone tamèn Cajum contraxiſſe ſponſalia de futuro cùm Berta, poſteà ducat in Uxorem Męviam, quę moritur,& Berta prior ſponſa permaneat in ſuo propoſito ducendi Cajum; tenebitur ne Cajus illam ducere?

30 Reſpondeo negativè cùm *Sanchez lib.* 1. *de matrimonio diſp.* 48. *num.*3. *Rodriqu.*1. *part. cap.*245. *num.*8. *Henriqu. dicto lib.*11. *cap.*1. *num.*3. *Filliucc. loco citato & Coninch. loco cit. num.* 3. Ratio eſt quià obligatio ſemel extincta ampliùs non reviviſcit *Gloſ. in Canon. quæris de conſecratione diſtinct.* 4. *in verbo contrahatur* .

31 Ultimò ſolvuntur ſponſalia per ſupervenientem affinitatem inter ſponſos , cognationem ſpiritualem, vel ſimile impedimentum dirimens , de quibus cernuè dicam inferiùs ſub titulo *de impedimentis Matrimonii* Interim ſit .

Digitized by Google

TITULUS XI.

De Sacramento Matrimonii.

1 SACRAMENTUM Matrimonii ità definit *Toletus lib. 7. ſummæ cap. 5.* quòd nempè ſit = *contractus Viri, & Fæminæ legitimus, quo mutua corporum poteſtas traditur, gratiæ ſpiritualis collativus.*

2 Dicitur Matrimonium *contractus*, quià in illo perſonæ legitimæ conſenſu mutuo ſe obligant ad vitæ ſocietatem, & uſum generationis. Quarè inter Infideles etiàm datur matrimonium ùt contractus, licèt nequeat dari ùt Sacramentum niſi inter baptizatos, cùm Baptiſmus ſolus ſit janua Sacramentorum, ex alibi dictis *cap. quanto de divortiis, ibique Gloſ. in verbo ratum.*

3 Elevavit autèm Chriſtus contractum hunc ad Sacramenti dignitatem tùnc cùm inquit *Matthæi cap.* 19. = *Quòd Deus conjunxit homo non ſeparet*, ad ſignificandam mutua coniugum dilectione unionem arctiſſimam ſpiritualem, quæ intercedit Chriſtum inter, & Eccleſiam, juxtà *illud Apoſtoli = Viri diligite Uxores, ſicuti Chriſtus diligit Eccleſiam.*

4 Matrimonium ùt Sacramentum duplex eſt, ratum, & conſummatum.

5 Ratum (quòd eſt idem ac ſponſalia de præſenti) dicitur, quòd legitimo conſenſu intèr perſonas non impeditas eſt conſtitutum. Conſummatum verò eſt illud,

illud, quod accedente inter coniuges carnali copula completur.

6 Jàm verò hujus Sacramenti ſi Miniſtrorum quæras, dico Miniſtros eſſe coniuges ipſos; Ille enim eſt Miniſter cujuslibet Sacramenti, qui profert verborum formam, quibus conficitur Sacramentum *Sanchez lib.* 2. *de Matrimonio diſput.* 6. *Rodriq. lib.* 11. *cap.* 216. *Reginald. lib.* 31. *num.* 52. *Coninch. de Matrim. diſp.* 24. *dub.* 3. *num.* 34. *Suar.* 3. *part. tom.* 1. *de Sacr. diſp.*26. *ſect.* 2. *Guttier. de Matrim. cap.* 41. *num.* 2. *Filliucc. tract.* 10. *quæſt.* 9. *num.* 19.

7 Circà materiam tamèn, vel formam hujus Sacramenti varia varii ſentiunt DD. Ut rem brevibus expediam adverto, quod Matrimonium cùm non conſiſtat in ſola actione ſucceſſiva,ſed in permanente,non eſt neceſſe, quod habeat materiam dum illud eſt in fieri, ſufficit ſi hæc aſſignetur illi jàm in facto eſſe exiſtenti; ſicuti non ſolet aſſignari materia compoſitionis Euchariſticæ in fieri, ſed dicitur ejus materiam eſſe ſpecies, quæ confecto Sacramento virtute conſecrationis permanent, & Chriſtum in ſe continent.

8 Adverto ulteriùs, quod ſi aſſignanda ſit materia, & forma Matrimonii in fieri (quod ex dictis facere non eſt neceſſe) probabilior reliquis ſit ſententia *Sanchez loco citato* dicentis verba Coniugum contrahentium, qua Matrimonii contractum inchoant, & offerunt, eſſe materiam illius, qua verò illud acceptunt, & perficiunt, eſſe formam.

9 Cœterùm aſſignando præciſè materiam, & formam matrimonio in facto eſſe, exiſtenti dico ejus materiam eſſeConiugum corpora mutuo tradenda;formam verò acceptationem mutuam eorumdem. Ità *Layman.lib.*5.

 Theol.

Theol. moral. tract. 10. part. 2. cap. 2. num. 3. Sanch. loco citato diſp. 5. Suar. loco cit. diſput. 2. ſect. 1. Guttier. numer. 1. ad fin. Reginald. numer. 42. Coninch. diſput. 42. dub. 4. num. 33. Henriq. cap. 2. num. 5. Filliucc. quæſt. 7. num. 10. & ſeqq.

10 Probatur, quià materia in quolibet compoſito eſt per ſe quid imperfectum perficiendum à forma, à qua determinatur; Illa igitur in contractu dicenda eſt materia, quæ eſt per ſe quid imperfectum; Illa forma, quæ determinat materiam, & veluti complet contractum: Cùm verò in contractu Matrimonii traditio mutua corporum ſit per ſe quid imperfectum, & incompletum, ac mera inchoatio contractus, acceptatio verò ſit illius perfectio, & complementum, ſequitur mutuam traditionem materiam, acceptationem verò formam eſſe contractus matrimonialis.

11 Obiicies tamèn. Corpora Conjugum mutuo tradenda, ſunt materia circà quàm Sacramenti Matrimonii; ergò non ſunt materia, ex qua illud componitur.

12 Reſpondeo concedendo antecedens, negandam eſſe conſequentiam. Superveniente enìm verborum forma corpora Coniugum ſunt, & permanent ſignum externum repræſentans unionem ſpiritualem Chriſti cum Eccleſia: ſicuti paritèr lignum informe, ac rude eſt materia circa quàm artis fabrilis, ſed inducta forma incipit eſſe, ac permanent materia ex qua ejuſdem artis.

13 Obiicies denuò. Materia Sacramenti debet eſſe diſtincta, tùm à ſuſcipiente, tùm à Miniſtrante, ſed Coniuges ſunt Miniſtri, & ſuſcipientes Sacramentum Matrimonii; ergò non poſſunt eſſe materia illius.

14 Reſpondeo, quod cum hoc Sacramentum fundetur etiàm

etiàm in contractu naturali, multa peculiaria habeat, quæ ſimili modo in aliis Sacramentis non reperiuntur. Quare iidem Coniuges quatenùs intèr ſe verbis expreſſis tradunt corporum poteſtatem, ſunt Miniſtri Matrimonii; quatenùs corporum poteſtatem mutuò accipiunt, dicuntur ſuſcipientes; Corpora autèm illorum intèr ſe tradenda, ſunt materia ejuſdem Sacramenti.

15 Sciendum jàm, Tridentinum reprobare Matrimonia clandeſtina facta omiſſis publicationibus, & præſentia Parochi, ac Teſtium; Quare ità diſpoſuit *Seſſione 24. cap. 1. de reformatione Matrimonii -- Qui alitèr quam præſente Paroco, vel alio Sacerdote de ipſius Parochi, ſeù Ordinarii licentia, & duobus, vel tribus teſtibus Matrimonium contrahere attentabunt, eos ſancta Synodus ad ſic contrahendum omninò inhabiles reddit, & hujuſmodi contractus irritos, & nullos eſſe decernit, prout eos præſenti decreto irritos facit, & annullat.*

16 Nec valet dicere, Eccleſiam non poſſe mutare materiam, & formam Sacramentorum, utpotè à Chriſto inſtitutas, ſed contractus celebratus intèr virum, & fœminam abſquè Parochi, & Teſtium præſentia fuit materia, & forma Sacramenti Matrimonii, ergò &c.

17 Reſpondeo enim diſtinguendo majorem. Eccleſia non poteſt mutare materiam, & formam Sacramentorum per ſe, ac directè, concedo; Indirectè, & per accidens, nego majorem. Non poteſt quidem Eccleſia facere, quod panis uſualis non ſit materia Sacramenti Euchariſtię; ſed ſi poſſet facere, ut hic panis nõ eſſet panis, jàm poſſet facere indirectè, quod id, quod erat materia Euchariſtię, talis ampliùs non ſit. In caſu autèm noſtro contractus clandeſtinus eſſet materia, & forma Sacramenti

cramenti Matrimonii, ex ſuppoſitione, quod eſſet contractus legitimus, & initus ab habilibus perſonis. Cùm igitùr Eccleſia per Tridentinum contractum hunc illegitimum declaravit, reddideritque inhabiles perſonas ad illum celebrandum, potuit indirectè mutare materiam, & formam Sacramenti, vel, ùt veriùs dicam, illam fundamentalitèr deſtruere.

18 Quod autèm Eccleſia hanc facultatem habeat, patet; Quià ſicuti civilis Reſpublica poteſt irritare contractus Subditorum, & inhabiles eos reddere ad aliquo modo contrahendum, ùt facit circà pupillos ſine Tutoris authoritate ſe obligantes, eo quià ſubditi illi ſubiecti ſint in ordine ad commune bonum, & politicam gubernationem; Ità poteſt Eccleſia fideles ſibi ſubditos reddere in habiles ad aliquem contractum ineundum, illumque ità initum irritare, proùt ipſis, & communi bono expedire judicaverit. Ità disertè *Layman. ubi ſuprà cap.* 4. *num.* 2.

19 Debent autem Parochus, & Teſtes requiſiti à Tridentino intereſſe matrimonio celebrando præſentia ſaltèm morali, ità ut intelligant id, quod agitur; quarè non ſufficeret eorum præſentia, ſi furioſi eſſent, infantes, vel dormientes, ùt enim ait *Text. in l.* 209. *ff. de verborum ſignificatione -- Coram Titio aliquid facere juſſus, non videtur præſente eo feciſſe, niſi is intelligat.*

20 Verùm tamèn eſt, quod Teſtes ad hunc actum requiſiti, non debeant neceſſariò habere qualitates requiſitas in cauſis tùm Civilibus, tùm Criminalibus; quarè nihil intereſt an ſint impuberes, fœminæ, excommunicati, infideles, parentes, liberi, ſervi &c. *Sanchez. lib.* 2. *de Matrimonio diſput.* 41. *num.* 5. Et ratio eſt quià cùm Tridentini Conſtitutio ſit corectoria Juris veteris, non debet extendi, præſertìm cùm proce-

procedit contrà valorem Matrimonii, cujus cauſa eſt favorabilis.

21 Sciendum ulteriùs, quòd Tridentinum ad providendum conſultiùs Matrimonii celebrationi loco citato ità diſpoſuerit: quòd nempè = *antequam Matrimonium contrahatur ter à proprio contrahentium Parocho, tribus continuis diebus feſtivis in Eccleſia intèr Miſſarum ſolemnia publicè denuncietur, intèr quos Matrimonium ſit contrahendum; quibus denunciationibus factis, ſi nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem Matrimonii in facie Eccleſiæ procedatur &c.*

22 Notandum tamèn, quod etiàm poſita hac Conſtitutione adhùc dicendum ſit Concilium reliquiſſe Epiſcopi prudentiæ, quod in caſu, quo timeatur matrimonium malitiosè impediri poſſe, vel in caſibus ſimilibus, poſſit jubere, ùt fiat una denunciatio pro trina, aut etiàm omnes juxtà exigentiam cauſæ remit-
23 tat. Imò hoc idem facere poteſt Parochus caſu, quo periculum ſit in mora, & nequeat accedi ad Epiſcopum, v.g. ſi quis morti proximus velit in uxorem ducere Concubinam, ùt tuta decedat conſcientia, & proles legitimetur. Ità *Sanchez lib.* 3. *citata diſputatione* 9. *num.* 3. *&* *diſput.* 10. *num.* 27.

24 Quoniàm tamen ex dictis matrimonia debent plena gaudere libertate, non immeritò poteſt inſtitui quæſtio. An matrimonium metu cogente contractum ſit validum, nec ne.

25 Reſpondeo negativè, ſi tamèn aliqua concurrant. Primò quod metus ſit gravis, ſeù cadens in conſtan-
26 tem virum *cap. cùm locum de ſponſalibus*. Secundò, quòd metus ſit per ſe, ac directè incuſſus pro extorquendo conſenſu in matrimonium. Quarè ſi aliquis,

aliquis v. g. in carcere detentus, tamquàm medium ad ſui liberationem contrahat ſpontè matrimonium cùm filia Judicis, non dicitur id metu contraxiſſe, quià metus non eſt per ſe incuſſus ad eliciendum conſenſum matrimonii, ſed ſolùm per accidens, quatenùs ipſe ad effugienda vincula libentèr eligit matrimonii ſupradicti celebrationem *Sotus in 4. diſtinct. 29. quæſt. 1. art. 3.* Tertiò requiritur, quod metus ſit injuſtè illatus; quarè ſi Judex ſtupratori virginis præcepiſſet, ùt eam duceret, metus ſic juſtè incuſſus non invalidaret matrimonium *Sanchez. lib. 4. de matrimonio diſput. 8. num. 9.* Et quoad metum Matrimonium irritantem inſpiciantur *Menoch. de præſumpt. lib. 3. præſumpt. 4. per tot. Diana part. 3 tract. 4. reſol. 228. & part. 4. tract. 4. reſol. 33. Sperell. deciſ. 5. & 6. per tot. Rota cor. Ludoviſ. deciſ. 326. per tot. & poſt Zach. quæſt. medicolegal. tom. 2. deciſ. 58. à numer. 3. uſque ad 11. deciſ. 48. part. 16. & deciſ. 405. & 490. part. 18. recent.*

27 Sed inquires ulteriùs: An metus reverentialis, v. g. à Patre incuſſus filio, irritet matrimonium initum.

28 Reſpondeo, per ſe hujuſmodi metum non eſſe ſufficientem ad matrimonium invalidandum, ſed per ac-
29 cidens, ſi ſcilicèt precibus importunis adjungatur precantis authoritas v. g. Si Princeps inſtantèr roget, vel ſi jungantur ſævitiæ, & minæ, aut timeatur gravis, & diù duratura indignatio Patris, vel alterius, à quo vita, vel fortuna hominis plurimum dependeat. Ità *Sanchez. lib. citato diſput. 6. quæſt. 1. & 2. & diſput. 7. num. 7.*

30 In dubio autèm, an metu gravi matrimoniū contractum ſit, reſolvendum eſt ſemper pro matrimonii validitate;

te; tùm quià contractu celebrato præſumptio, & poſſeſſio ſtat pro ejus valore; tùm quià Reipublicæ, & prolis educandæ intereſt matrimonia ſubſiſtere; tùm demùm proptèr honorem, & reverentiam Sacramenti, teſte *Sanchez. lib.7. de Matrimonio diſput.37. nu.14.*

31 Quæres ſecundò. Si aliquis habet animum ſimulatum, non autèm verum contrahendi matrimonium, eſt ne illud validum?

32 Reſpondet negativè Innocentius Tertius *in cap. Tua nos de ſponſalibus*, quià deficiente vero conſenſu non poteſt perfici fœdus conjugale.

33 Dicas autèm hanc concluſionem non procedere primò ſi Mulier decepta jactaſſet ſe virginem, cum talis non eſſet, quià deceptio deceptione compenſa-
34 tur. Secundò ſi ex tali matrimonio infelices exitus ti-
35 meantur. Tertiò ſi deceptor aliud poſteà matrimo-
36 nium verò conſenſu contraxit. Et ultimò ſi perſona decepta cognita deceptione, ſpontè aliam damni paſſi compenſationem recipiat pretèr ratificationem veram matrimonii à deceptore faciendam, Ità *Vaſquez. de reſtitutione cap.3. §. 1. dubio 6.*

37 Quæres Tertiò. An matrimonium contrahi poſſit ſub conditione honeſta pendente in futurum, v. g. *accipio te ſi pater tuus conſenſerit.*

38 Reſpondeo affirmativè, & purificata conditione abſquè novo contrahentium conſenſu matrimonium perficietur. Ratio eſt, quià contractus celebratus ſub conditione honeſta pendente in futurum ea impleta purificatur, ùt habetur in *l. potior ff. qui priores in pignore habeantur, cũ ſemel cõditio extitit, perindè habetur, ac ſi illo tẽpore, quo ſtipulatio interpoſita eſt, ſine conditione, facta eſſet.* Ità *Sanchez. lib.5. de matri. diſput.8.n.5.*

39 Videtur tamèn obſtare huic aſſertioni *text. in cap.*

ſuper eo de conditionibus appoſitis ubi requiſitus Urbanus Tertiùs an Adoleſcens, qui in quamdam mulierem conſenſit ſub conditione *ſi Pater conſenſum præbeat* ad perficiendum matrimonium compellendus ſit, reſpondit *Niſi voluntas Patris poſtmodùm intercedat, nequaquàm cogendus eſt ad matrimonium contrahendum*. Ex quo ſic à contrario arguitur. Ergò ſi voluntas Patris poſteà intercedat cogendus erit ad matrimonium contrahendum, ergò per hoc, quod purificetur conditio matrimonium non eſt in ſuo eſſe abſolutum.

40 Reſpondeo hoc argumentum gratis fieri, quià leges tantùm valent quantùm ſonant. Ibi autèm Pontifex inquit ſolùm Adoleſcentem ità contrahentem non eſſe cogendum ad contrahendum matrimonium, niſi conditio eveniat, quod à me etiam admittitur. Utrùm autèm, & quo modo compellendus ſit, ſi conditio eveniat, nullatenùs definitur à Pontifice.

41 Advertendum tamèn eſt, quoad hoc diſcrimen intercedens intèr ſponſalia de futuro facta ſub conditione in futurum, & de præſenti, ſeu matrimonium ratum factum ſub ſimili conditione: Si enim dicam = *Accipiam te ſi Pater tuus conſenſerit*, & purificetur conditio, adhuc contractus non eſt perfectus, ſed ſupereſt obligatio contrahendi matrimonium ratum;

42 Si autèm dicam = *Accipio te nunc in Uxorem meam, ſi Pater tuus conſentiat*, eveniente conditione, abſquè novo conſenſu, contractus matrimonii eſt perfectus. Ità *Layman. lib.* 5. *citato tract.* 10. *part.* 2. *cap.* 7. *nu.* 2. §. *ubi diligentèr*.

43 Scias jàm ultimò, non valere matrimonium contractum ſub conditione, quæ repugnet ejus ſubſtantiæ, vel ſubſtantiali proprietati. Ait enim Gregorius IX.

in

Digitized by Google

in cap. fin. de conditionibus appoſitis, ſi conditiones contra ſubſtantiam coniugii inſerantur, puta ſi alter dicat alteri: Contraho tecum ſi generationem prolis evites, vel donec inveniam aliam honore, vel facultatibus ditiorem, aùt ſi pro quæſtu adulterandam te tradas, matrimonialis contractus quantumcùmque ſit favorabilis, caret effectu.

44 Cœterum aliæ conditiones turpes, & impoſſibiles, ſed matrimonii ſubſtantiæ non adverſantes, favore matrimonii habentur pro non adjectis, v. g. *Accipio te ea lege, ùt Cælum digito attingas, Patrem interficias &c. ad Text. in dicto cap. finali in fin. Valentia tom.* 1. *diſput.* 10. *quæſt.* 3. *punct.* 3. *Sanch. lib.* 5. *diſput.* 15. *Guttier. cap.* 82. *num.* 21. *&* 28. *Filliucc. tract.* 10. *cap.* 4. *quæſt.* 11. *num.* 140.

TITULUS XII.

De Bonis Matrimonii.

1 TRIA in coniugio bona DD. agnoſcunt, *Fidem* ſcilicèt, *Prolem*, & *Sacramentum*, quæ D. Auguſtinus *de bono coniugii cap.* 24. ſic explicat = *In fide attenditur, ne præter vinculum coniugale cum altero concumbatur: In prole ùt amantèr ſuſcipiatur, benignè nutriatur, religioſè educetur: in Sacramento, ùt coniugium non ſeparetur, & dimiſſus, aùt dimiſſa, ne cauſa quidem prolis, alteri coniungatur.*

2 Bonum igitùr Fidei tres includit obligationes, debiti nempè coniugalis redditionem, cohabitationem

mutuam coniugum, & fidei thori obſervantiam.

3 Quoad primam ergò inquit Apoſtolus *prima ad Corinthios cap. 7. = Uxori vir debitum reddat, ſimilitèr*
4 *autèm, & Uxor viro*: Quarè peccat mortalitèr contra juſtitiam coniux, qui coniugi, vel expræſsè, vel tacitè debitum exigenti non reddit, dummodò tamèn illud petat rationabilitèr *D. Thom. in addit. ad 3. part. quæſt. 64. art. 1. & 2. Sanch. lib. 9. diſput. 2. num. 3. & 9. Baſil. Pontius de matrim. lib. 10. cap. 2. num. 1. Reginal. in prax. for. pœnitent. part. 2. lib. 31. num. 281. Azor. part. 3. Inſtitut. moral. lib. 3. cap. 31. in princ. & DD. omnes.*

5 Dixi, *dummodò petat* rationabilitèr, videlicèt tempore, & loco opportuno, non verò ſi nimis frequentèr, & importunè petat *Sanchez. loco citato num. 12. diſput. 24. num. 6. & lib. 7. diſput. 21. num. 16. Pontius loco citato num. 5. Reginald. loco citato num. 282. & Sà in ſumma verb. debitum in fine*; vel ſi exigat illud in loco non decente, v. g. in Eccleſia, in quà extrà caſum neceſſitatis non niſi cùm ſacrilegio poteſta ctus coniugalis exerceri, juxtà *Sylveſtrum in ſumma verb. debitum quæſt. 3. Rebell. de obligat. Juſt. part. 2. lib. 3. quæſt. 19. num. 7. Fagundez. de præcept. Eccleſ. præcept. 1. lib. 3. cap. 14. num. 31. & præcept. 2. lib. 4. cap. 4. num. 19. Azor. loc. cit. quæſt. 6. Barboſ. de offic. Epiſc. allegat. 28. num. 49. Sanchez. lib. 9. diſput. 15. num. 11. Suar. de relig. tom. 1. lib. 3. de reverentia locis Sacris debita cap. 7. num. 4.*

6 Et hoc debitum tenetur coniux reddere petenti illud in vaſe naturali, quamvìs non ſervato ſitu ordinario; Si enìm in caſu neceſſitatis hoc modo exigatur, non adeſt culpa in petente, adeòque multò minùs in reddente (niſi tamèn probabile periculum pollutionis timea-

meatur) ſi autèm extrà caſum neceſſitatis, adeſt tantùm venialis culpa, ſed gravis (intrà limites tamèn venialis culpæ) in petente, nulla autèm in reddente, quando hic modeſtè monendo, aùt rogando alium Coniugem à tali petitione avertere non potuit *Layman. lib.* 5. *tract.* 10. *part.* 3. *cap.* 1. *num.* 17. *Conincb.*
7 *diſput.* 14. *num* 17. Ratio eſt, quià *Cajetan.* 2. 2. *quæſtion.* 154. *art.* 1. *circà ſolutionem ad* 4. §. *Ad ſecundum de modo, Fagund. in decalog. lib.* 6. *cap.* 3. *num.* 27. *Sanchez. lib.* 9. *diſput.* 16. *n.*8. *Pont. lib.*10. *cap.*11. *num.*4. *Dian. part.*3. *tract.*4. *reſol.*246. *Bonac. de Sacram. Matrim. quæſt.* 4. *punct.* 3. *num.* 9. firmant regulam, quod quoties exigens eſt reus ſolius culpæ venialis, reddens vacet culpa, & teneatur reddere; non enìm redditio hujuſmodi evadit intrinſecè mala ob venialem culpam petentis, & ſemper in reddente adeſt cauſa juſta excuſationem præſtans à culpa, v. g. ne petenti diſpliceat, vel excitentur diſcordiæ, & odia intèr Coniuges.

8 Dantur autèm plures caſus, in quibus coniux excuſari poſſit ab hujuſmodi debiti redditione.

9 Primus eſt Adulterium ab uno ex ipſi commiſſum *Can. ſi infidelis* 28. *quæſt.*2. *Covar. de Sponſal. part.* 2. *cap.* 7. §. 2. *numer.* 4. *Fagund. in decal. lib.* 4. *cap.* 7. *num.* 17. *Filliucc. tom.* 1. *quæſtion.* 1. *tract.* 10. *cap.* 10. *num.* 365. *& ſeqq. Rebell. de obligat. Juſtit. part.* 2. *lib.*2. *quæſt.* 16. *num.*6. *Pont. lib.*9. *cap.*16. *num.*4. *Villalobos part.* 1. *ſum. tract.* 15. *diffic.* 1. *Sanchez lib.* 10. *diſput.* 3. *num.* 1. 2. 3. *&* 4. *Laiman. lib.* 5. *tract.* 10. *part.*3. *cap.*1. *num.*3. Quo caſus tamèn, ſi Coniux innocens adulterium alterius ignoret, poterit adulter debitum petere. Quòd enìm adulter proptèr adulterium privetur Jure petendi debitum eſt pœna à Jure inflicta,

inflicta, ad quàm ipſe ſe ipſum condemnare nequit nemine agente, vel excipiente. Ità *Sanchez lib.* 1. *de Matrimonio diſput.* 68. *num.* 4. & 5. *Fagund. loco citato num.* 20. *Filliucc. ibidem num.* 386. *Layman. ubi ſuprà*.

10 Secundus Caſus eſt, ſi reddenti debitum immineat grave periculum ſalutis corporalis, ùt ſi petens illud laboret peſte, vel febri hectica &c. Quià cùm non habeat reddens dominium corporis ſui, non poteſt ejus uſum cùm gravi adeò illius detrimento alteri permittere, ità *D. Thom. in* 4. *diſtinct.* 32. *quæſtion. unica art.* 1. *Panorm. in cap.* 1. *de coniug. leproſ. Filliucc. loco citato num.* 339. *Fagund. lib.*6. *cap.*1. *num.* 47. *Sanchez lib.* 9. *diſput.* 24. *num.*1. *Azor. part.* 3. *Inſtitut. moral. lib.*3. *quæſt.*20. *Rebell. loco citato num.* 4. *Pont. lib.*10. *cap.* 14. *num.* 2. *Layman. loco citato num.* 5. *Reginald. lib.* 31. *num.* 238. *Ledeſm. de matrim. quæſt.* 64. *art.* 1. *Comitol. lib.* 1. *reſp. moral. quæſt.* 136.

11 Notandum tamèn, quòd ſi quis matrimonium ſcientèr contraxerit cùm aliqua perſona laborante lepra, vel ſimili morbo contagioſo, nequeat in poſterùm opponere exceptionem debiti non reddendi *Barb. ad cap.* 2. *num.* 4. *de coniug. lepr.* & *Sanchez lib.* 9. *diſput.* 24. *num.* 22.

12 Tertiò. Si Uxor v.g. prægnans, ex redditione debiti probabile timeat mortis periculum proli conceptæ, nec illud licitè petere, nec reddere poteſt *Can. ejus diſtinct.* 5. *Butr. in rub. de Sponſal. num.* 14. & *ibi Alex. de Nævo num.* 21. *caſ.* 2. *Sanchez lib.* 9. *diſput.* 22. *num.* 2. *Caſtropal. part.* 5. *tract.* 28. *diſput.* 3. *num.* 20. *Perez de Matrim. diſput.* 49. *ſect.* 3. *num.*16. *Leandr. de Sacrament. part.* 2. *tract.* 10. *diſput.* 15. *quæſt.* 22.

Quar-

13 Quartò. Petenti in ebrietate, furore, vel amentia poteſt negari debitum, cùm illud cenſeatur exigere non rationabili, vel humano modo *Sylveſter in ſumma verbo debitum quæſt.* 1. §. 2. *in fine, Sanchez lib.* 9. *diſput.*23. *num.* 19. *Reginal. lib.*31. *num.* 347. *Filliucc. loco citato cap.* 9. *num.* 338. *Layman. loco citato num.* 9. *Fagund. loco citato numer.* 48. *&* 50. *Dian. part.* 9. *tract.* 7. *reſol.* 4.

14 Quintò. Si quis poſt conſumatum Matrimonium perpetuam voverit continentiam, vel illam vovit conſentiente alio Coniuge, & hoc caſu nequè petere, neque reddere debitum licitè poteſt; vel neſciente, aut invito alio coniuge dictum votũ emiſit, & præſumendum eſt voluiſſe ſe obligare in id, quod potuit, nempè ùt nunquàm peteret debitum conſtante matrimonio, licèt illud reddere teneatur *cap. quidem de converſ. coniugat. Navarr. in man. cap.* 12. *num.* 2. *Pont. lib.* 10. *cap.*1. *num.* 19. *Leandr. tract.* 9. *diſp.* 25. *quæſtion.* 74. *Coninch. de Sacram. diſput.* 34. *num.* 25. *Layman. loco citato cap.* 1. *num.*12. §.1. *Fagund. lib.*4. *cap.*7. *num.*8. *Perez. diſp.*31. *num.*2. *Villalob. tract.*13. *diffic.*54. *Reginald. lib.* 31. *prax. for. pœnitent. num.* 351. *Leſſ. lib.* 2. *de Juſt. & Jur. cap.* 40. *num.* 100.

15 Sextò. Si ob inceſtum commiſſum unus ex coniugibus privetur Jure petendi debitum, etiàm alter innocens eximitur ab obligatione reddendi *Can. ſi quis Viduam* 32. *quæſt.*7. *Can. ſi quis cùm matre* 35. *quæſt.*2. *cap.* 1. *de eo qui cognovit conſanguineam uxoris ſuæ Sot. in* 4. *diſtinct.* 31. *quæſtion. unica art.* 4. *Covar. de Sponſal. part.* 2. *cap.* 3. §. 1. *num.* 6. *Rebell. de obligat. Juſt. part.* 2. *lib.*3. *quæſt.* 17. *num.* 10. *Abulenſ. in cap.* 5. *Matth. quæſt.* 241. *ad* 1. *& Sanchez lib.* 9. *diſputat.*6. *num.*11.

Limi-

16 Limitatur tamèn primò hæc concluſio, ſi fœmina à conſanguineo mariti violentèr fuiſſet cognita; cùm enìm ità violata non ſit in culpa, pœnam omnem evadit *cap. diſcretionem de eo qui cognovit conſanguineam uxoris ſuæ, vel Sponſæ Sanchez lib. 9. diſput.* 31. *num.* 1. vel ſi per metum gravem, & cadentem in conſtantem virum cognita fuerit *Sotus in* 4. *diſtinct.* 37. *quæſt. unic. art.* 2. *Villalob. part.* 1. *tract.* 23. *diffic.* 52. *num.* 7. *Bonac. de Matrim. quæſt.* 4. *punct.* 2. *num.* 5. *Averſa de matrim. diſput.* 17. *ſect.* 3. §. *Quod ſi fœmina Laym. lib.* 5. *tract.* 10. *part.* 1. *numer.* 17. *Caſtropal. tom.* 5. *oper. moral. tract.* 28. *diſput.* 3. *punct.* 4. §. 6. *num.* 3. *& Sanchez loco citato num.* 4.

17 Limitatur ſecundò, ſi copula non ſit conſumata intrà vas legitimum fœminæ, viro ſemen emittente, nàm cùm hic loquamur in materia pœnali debet fieri ſtricta interpretatio Ità *Lancellot. in Inſtit. Canon. lib.* 2. *tit. de triplici cognat.* §. *Si quis autèm, & Sanch. lib.* 7. *diſput.* 15. *num.* 11.

18 Properando jàm ad alteram obligationem incluſam in bono Fidei, nempè mutuam Coniugum cohabitationem, dico poſſe cogi coniuges à Judicibus tàm Laicis, quàm Eccleſiaſticis ad cohabitandum, ad præſtanda mutua obſequia in adminiſtranda re familiari, & prole educanda *cap. literas de reſtitutione Spoliatorum*.

19 Ex quo ſequitur primò, maritum regularitèr debere alere uxorem, & familiam, niſi tamèn uxor abſquè neceſſaria cavſa à marito receſſerit; qui enìm non facit quòd debet, non recipit quod oportet *Sanchez de Matrimonio diſput.* 4. *num.* 20. Imò marito defi-
20 ciente, Pater ejuſdem, uxori, & familiæ neceſſaria ſufficere debet alimenta, juxtà *Sanchez ibidem diſput.* 26. *num.* 21.

Sequi-

21 Sequitur ſecundò, uxorem debere ſequi maritum ſuum, qui domicilium mutet *Can. unaquæque* 13. *quæſt.* 2. *Petr. Barboſ. in l. Maritum num.* 55. *in fin. ff. ſol. matrim. Reginald. loco citato num.* 310. *Fagund. d. lib.* 4. *cap.* 12. *num.* 7. *Layman. lib.* 5. *part.* 3. *cap.* 2. *num.* 4. *Sanch. lib.* 1. *diſput.* 41. *num.* 1. *Navarr. in man. cap.* 14. *num.* 2. *Rot. deciſ.* 278. *num.* 11. *part.* 4.
22 *diverſ.* niſi tamèn conventio adſit oppoſita, vel uxor
23 magnum animæ, vel corporis paſſura ſit incommodum maritum ſequendo *Sanchez. lib.* 1. *diſput.* 41. *num.* 3. *Navarr. loco citato, & lib.* 5. *conſ.* 2. *num.* 4. *de divortio, Farinacc. in prax. Crimin. part.* 5. *quæſt.* 143. *numer.* 168. *Fagund. lib.* 4. *in decalog. cap.* 12. *num.* 14. 15. *&* 16. & in fortioribus terminis *Rot. deciſ.* 417. *per tot. part.* 7. *deciſ.* 35. *num.* 8. *part.* 11. *& deciſ.* 300.
24 *per tot. part.* 13. *recent.* Uxor tamèn nequit abſque viri conſenſu, & cauſa neceſſaria mutare domicilium, vel brevem peregrinationem ſuſcipere, quam tamèn etiàm Uxore invita arbitratu ſuo, maritus agere poteſt, juxtà *Gloſ. in cap.* 1. *de coniug. leproſ. ibique DD. Farinacc. loco citato num.* 260. *Fagund. loco citato numer.* 18. *Sanchez. dicta diſput.* 41. *in fin. & lib.* 9. *diſput.* 4. *num.* 15.

25 Sequitur tertiò, uxorem debere ſequi maritum etiàm propria culpa exulantem (dummodò contrà fidem matrimonii non deliquerit) & viceverſa virum relegatam uxorem, ſi abſquè ſuo gravi incommodo poſſit *Gloſ. in cap.* 1. *qui matrimonium accuſare poſſunt, in verbo exivit Boich. in cap. de illis de ſponſalibus, Melchior Kling. in lib.* 2. *Decret. in cap. quoniam frequentèr §. Porrò numer.* 3. *ùt lit. non conteſt. Sanchez. dicta diſput.* 41. *num.* 12. *Laym. lib.* 5. *part.* 3. *cap.* 2. *num.* 4. *Reginald. lib.* 31. *num.* 310. ùt enìm ait *Text.*

in l. ſi cùm dotem §. Si maritus ff. ſoluto matrimonio = Quid tàm humanum eſt, quàm fortuitis caſibus mulieris maritum, vel uxorem viri participem eſſe?

26 Tertia jàm obligatio contenta in bono Fidei eſt fides thori ſervanda inter coniuges, quod nempè cùm nulla alia perſona copula habeatur vivente alio Coniuge.

27 Moris eſt hic apud DD. inſtaurare quæſtionem, quomodò certa eſſe debeat mors coniugis, ùt alius coniux ad ſecundas nuptias progredi poſſit, abſquè periculo celebrandi matrimonium invalidum, & fornicarium.

28 Dicendum eſt igitùr debere Coniugem ſaltèm eſſe certum certitudine morali, juxtà *Layman. lib. 5. Theo-*
29 *logiæ moralis tract. 10. part. 3. cap. 3. num. 1.* Quarè infert non eſſe probationem ſufficientem pro inducenda dicta certitudine ſola conſtantem famã de morte coniugis, vel unum tantùm teſtem juratum, niſi alteri ex his addatur aliud adminiculum, puta, quod vir abſens ſenex fuerit, vel in acie conflixerit, & diu expe-
30 ctatus non redierit = *In ſumma hanc materiam relinquerem arbitrio judicantis, ùt diligentèr omnibus ponderatis conſideret, utrùm de morte ſit facta certificatio* = ſunt verba *Abbatis in cap. in præſentia de Sponſalibus num. 6.*

31 Dixi in tituli initio alterum matrimonii bonum, eſſe bonum prolis; prolis enìm generatio eſt præcipuus finis actus coniugalis. Sed quæres: An Coniuges licitè matrimonio uti poſſint, licèt actum coniugalem non dirigant ad prolis generationem, ſed ad vitandam incontinentiam.

32 Reſpondeo Affirmativè, ſi nulla alia adſint media ad illam vitanda; ait enìm *Apoſtolus 1. ad Corinth. cap. 7.*

cap. 7. proptèr fornicationem (vitanda ſcilicèt) *unuſquiſque ſuam uxorem habeat* = & rationem reddit = *melius eſt enìm nubere , quàm uri* . Ità *Sanchez. lib. 9. de Matrim. diſput. 9.*

33 Et quamvis ſubiungat *loc. cit. Apoſt. Hoc autem dico ſecundùm indulgentiam , non ſecundùm imperium* = non id tamèn aſſerit quatenùs conſulat minùs malum, nempè coniugium, pro majori vitando , ſed quatenùs minùs bonum coniugii indulget, eo quòd majus bonum continentiæ in præcepto non ſit, ùt explicat *Medina de Sacrorum hominum continentia lib. 3. cap. 13.*

34 Hactenùs tamèn dicta militant, ſi coniux utatur copula ad vitandam incontinentiam propriam ; non au-
35 tem ſi illam dirigat ad vitandam incontinentiam alterius coniugis; tunc enim nullum committit peccatum, quià in eo fine invenitur fides coniugis ſive redditio debitis coniugalis, quæ cùm ſit actus juſtitiæ , quàmlibet culpam excludit *Can. ſecundùm verba* 33. *quæſtion. 5. & D. Thom. in dict. locum Apoſtol.* inquiens = *Actus coniugalis quandoque quidem eſt meritorius , & abſquè omni culpa mortali , vel veniali , puta , cùm ordinatur ad bonum prolis procreandæ , & educandæ ad cultum Dei : Sic enìm eſt actus Religionis ; Vel cùm ſit cauſa reddendi debitum : ſic enìm eſt actus Juſtitiæ .*

36 Quæres ſecundò . An uti coniugio liceat, cauſa corporalis ſanitatis .

37 Reſpondeo cùm diſtinctione : vel ad ſolam corporalem ſanitatem ordinatur uſus coniugii , & peccatur venialitèr , ſi adſit aliud medium ſervandæ ſanitatis prætèr talem uſum, cùm culpa careat actus coniugalis tunc tantùm cùm redditur debitum petenti , ex juſtitia, & cùm dirigitur ad generationem prolis, vel ſedan-

dos incontinentiæ tumultus *D. Thom. in* 4. *diſtinct.* 3 1.
38 *quæſt.* 2. *art.* 2. *ad* 4. Vel actus coniugalis dirigitur primariò ad generationem prolis, vel vitandam incontinentiam; ſecundariò autèm, & concomitantèr ad corpoream ſanitatem, vel ſimilem honeſtum finem, & tunc nulla committitur culpa; quià cùm matrimonium præcipuè inſtitutum ſit ad ſpeciei propagationem, videtur etiàm ſecundariò inſtitutum ad conſervationem individui, cùm nonniſi ſalvis individuis ſpecies propagari queat. Ità *Layman.* ubi ſuprà *cap.* 4. *num.* 5. §. *Dixi autèm*.

39 Et hanc aſſertionem extendas etiàm ad caſum, quo nequeat quis alio modo ſanitati conſulere, quàm per exercitium actus coniugalis; adhùc enìm ſi ſanitatem pro unico fine habeat, peccabit venialitèr, quià non ideò copula evadit remedium efficaciùs ad tuendam ſanitatem, ſi adhibeatur omittendo finem primarium matrimonii, quàm intendendo illum. Ità *Cardenas in Criſi Theologic. diſſert.* 7. *cap.* 2. *art.* 1. *num.* 52. *prop.* 8. *&* 9.

40 Eadem diſtinctione ſolvi debet aliud quæſitum, quo regetur, an uti coniugio liceat ob voluptatem.

41 Si enìm finis talis actus ſit ſola voluptas, peccatur venialitèr, juxtà *D. Auguſtinum de bono coniugii cap.* 6. *&* ſ*an. mem. Innoc. XI.* die 2. Martii 1679. damnavit hanc propoſitionem intèr damnatas ab ipſo 9. *Opus Coniugii ob ſolam voluptatem exercitum omni pœnitùs caret culpa, ac defectu veniali*. Ratio eſt: quià non bonum delectabile, quòd congruit naturæ ſenſitivæ, ſed honeſtum, quod convenit rationali debet eſſe finis primariùs actionum hnmanarum. Cœterùm voluptatem amplecti, ùt inſervientem, directam ad proprios, & primarios coniugii fines, non cenſerem

pecca-

peccatum, quià tali operationi voluptatem verè adjunxit natura, juxtà *Layman. ibidem num.* 4.

42 Jàm verò tertium matrimonii bonum vocatur ex ſuprà dictis bonum Sacramenti, & nihil aliud eſt, quàm matrimonii indiſſolubilitas, circà quam.

43 Dico primò; Matrimonium ex genere ſuo habere indiſſolubilitatem de Jure naturali, quià matrimonium inſtitutum eſt ad fovendum mutuum amorem, & prolem generandam, ilamque rectè inſtituendam; hæc autèm, ùt jure peragantur, ex ſe perpetuitatem exigunt, juxtà *D.Tho. in addition. ad* 3.*part. quæſt.*49. *art.* 1. *&* 2. *&* *in* 4. *diſt.* 31. *quæſt.* 1. *art.*1. *&* 2. *Ledeſm. de matrim. quæſt.* 49. *art.* 1. *Sanch. lib.*2. *diſp.*29. *num.* 2. *& ſeqq. & DD. paſſim*.

44 Dico ſecundò. In lege Moſaica erat licitum Judæis repudium uxorum, & ſolutio matrimonii quoad vinculum, ità Deo cùm illis diſpenſante ob duritiem Populi Judaici, & ad evitanda frequentia uxoricidia, ùt habetur *cap.* 24. *Deutoron.*

45 Dico tertiò. Ex eadem divina Chriſti diſpenſatione ſolvitur quoad vinculum, Matrimonium intèr infideles contractum, quandò unus ex coniugibus ad veram Chriſti fidem convertitur, & alter non vult converti, vel cohabitare cùm converſo coniuge abſquè iniuria Creatoris, v.g. ſollicitando Converſum ad infidelitatem. Legem hanc Chriſti nomine promulgavit *Apoſtolus primà ad Corinthios cap.* 7. ibi = *ſi Infidelis diſcedit, diſcedat, nec enim ſervituti ſubiectus eſt frater, aut ſoror in hujuſmodi* = Conſule latè hac de re *Sanchez. lib.*7. *de matrim. diſp.*77. *num.*6. *Dian. part.*9. *tract.* 7. *reſolut.* 47. *&* 48. *per tot. part.* 11. *tract.* 5. *reſol.* 47. *de Bellis de delict. cap.* 4 *à numer.* 16. *uſque ad* 29. *Paul. Chriſtin. deciſ. Belgic.*330. 332. *&* 339. *volum.* 1.

Dico

46 Dico quartò. Matrimonium ratum fidelium, ſed nondùm conſumatum diſſolvitur quoàd vinculum per ſolemnem profeſſionem Religionis unius ex coniugibus *Tridentinum ſeſſ.* 24. *Can.* 6. *cap. verum, & cap. ex part. tua de converſione coniugatorum, de Bellis loco citato num.* 5. *& ſeqq. Sanchez lib.* 1. *diſput.* 18. *num.*3. *Rota coram Bich.deciſ.*141. *num.*9. *& ſeqq.*

47 Dico quintò. Matrimonium ratum nondùm conſumatum inter fideles contractum præter profeſſionem Religionis, poteſt ex alia juſta, graviqué cauſa Summi Pontificis authoritate quoad vinculum ſolvi *Sanchez lib.*2. *de matrimonio diſp.*14. Probatur ex facultate à Chriſto Domino abundè largita Petro, ejuſque Succeſſoribus illis verbis = *Paſce oves meas.* Adhoc enìm, ut oves concreditæ ritè paſcantur multum juvat diſpenſare poſſe in matrimoniis ratis, votis, juramentis &c. quando id bono Eccleſiæ regimini eſt conſentaneum. Quarè idem *Sanchez loco citato* aſſerit Gregorium XIII. una die cùm undecim diſpenſaſſe.

48 Dico ultimò. Matrimonium intèr Chriſtianos validè contractum, & conſumatum quoad, vinculum ità eſt indiſſolubile, ùt nonniſi morte naturali alterius ex coniugibus, vel immediatè Divina authoritate ſolvi poſſit. Docuit hoc Chriſtus Dominus inquiens *c.* 19. *Matthæi* = *Quòd Deus coniunxit homo non ſeparet* = *&* *Paulus prima ad Corinthios cap.* 7. = *His qui Matrimonio juncti ſunt præcipio, non ego, ſed Dominus uxorem à viro non diſcedere, quòd ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari* = Videatur fusè materiam tractans *Dian. part.* 8. *tract.* 1. *reſolut.* 62. *& ſeqq. & Rot. part.*2. *diverſ. deciſ.* 101. *num.* 7.

49 Nec obſtat, quod Matrimonium ex dictis, in aliquo caſu diſſolvi poſſit, ſi ſit ratum tantùm.

Quià

50 Quià matrimonium ratum repræſentat unionem Chriſti cùm Eccleſia per charitatem, & gratiam, quæ facile per peccatum mortale diſſolvitur ; Conſumatum autèm repræſentat unionem ejuſdem cùm Eccleſia per humanitatem aſſumptam, quæ unio ſolubilis ampliùs non eſt. Rurſus, ſi matrimonium conſummatum ſeparari poſſet, redundaret ejus ſeparatio in damnum prolis, quòd damnum non poteſt illi accidere in matrimonio tantùm rato, cùm non detur proles ex Matrimonio ſolùm rato.

51 Sed inſtabis. Inquit Chriſtus *Matthæi cap.* 19. = *Quicumquè dimiſerit uxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mæchatur* = ergò, cùm exceptio firmet regulam in oppoſitum, ob fornicationem licitum eſt uxorem dimittere, & aliam ducere.

52 Reſpondeo, ibi loqui Chriſtum de matrimonio ſolvibili ex cauſa fornicationis quoad thorum, & cohabitationem, non autèm quoad vinculum.

TITULUS XIII.

De Impedimentis Matrimonii.

1 SPECTAT procùl dubio ad Eccleſiæ poteſtatem impedimenta Matrimonii introducere, ùt definivit *Tridentinum Seſſ.* 24. *Can.* 3. *&* 4. *de Sacramento Matrimonii*.

2 Hæc autèm impedimenta duplicis ſunt generis: alia, quæ Matrimonium illicitum reddunt, ſed validum relinquunt, & dicuntur *impedientia tantùm*; alia,

Digitized by Google

alia, quæ matrimonium, & illicitum reddunt, & invalidum efficiunt, & dicuntur *dirimentia*.

3 Hæc igitur omnia impedimenta matrimonium dirimentia, memoriæ juvandæ cauſa, ſequentibus continentur verſiculis.

Error, Religio, triplex Cognatio, Crimen,
Cultus diſparitas, Vis, Ordo, Ligamen, Honeſtas,
Raptus, Clandeſtina Fides, Expers coeundi,
Ætas, Affines ſolvunt Connubia cuncta.

4 Deveniendo igitur ad *Errorem* primum impedimentum dirimens, ſi ſit circà ſubſtantiam perſonæ, dico vitiare matrimonium cùm faciat involuntariam illius celebrationem; actus enim agentium non operantur ultrà eorum intentionem; ùt ſi volens ducere Bertam, duxerim Cajam *Can. unico* 29. *quæſt.* 1. *& cap. tua nos de ſponſal. Ledeſm. quæſt.* 50. *art.* 2. *dub.* 2. *Sanchez lib.* 4. *diſput.* 28. *Guttier. de matrim. cap.* 89. *num.* 2. *Coninch. diſput.* 31. *de matrim. dub.* 1. *Regin. lib.* 21. *num.* 92. *Filliucc. tract.* 10. *part.* 2. *cap.* 2. *quæſtion.* 1. *num.* 23. *& Cardin. Tuſch. tom.* 5. *concluſ.* 150. *num.* 6. *&* 9.

5 Si autèm error ſit circà perſonæ qualitatem, ùt ſi Caja, quàm volo ducere ſimulet ſe ſanam, & non ſit virginem, & ſit corrupta &c. Matrimonium non invalidatur, *juxtà DD. allatos*, quià cùm errore circà qualitatem, vel motivum extrinſecum contractus quilibet ſubſtantialitèr conſiſtit *l. alioquin ff. de con-*
6 *trahenda emptione*; niſi tamèn contrahens habeat actualem intentionem non accipiendi mulierem hanc in uxorem, niſi ſit ſana, vel virgo; vel niſi ingenuus,
7 vel liber homo per errorem duxiſſet ſervam, putans ducere

ducere liberam; tùnc enìm matrimonium irritatur, quamvis error ſit in perſonæ qualitate *ad text. in cap. 2. & ultimo de coniugio ſervorum*. Et ratio eſt, quià veri coniuges debent mutuam corporum poteſtatem viciſſim tradere; nequit autèm ſerva hanc poteſtatem corporis ſui tradere libero viro cùm poſſit pro libito Domini ſui ad varia negocia peragenda deſtinari die, noctuque, vendi in longinquas terras ablegari &c. non obſtante inito matrimonio *ad Text. in cap. 1. tit. mox cit.*

8 Ad *Religionis* impedimentum ſpectat votum continentiæ ab uno ex coniugibus emiſſum; quod quidèm, ſi emiſſum fuerit ſolemnitèr in Religione approbata, ſolvit Matrimonium anteà ratum, & nondùm conſumatum, ac inſuper dirimit contrahendum *cap. meminimus, & cap. rurſus qui Clerici, vel voventes, Tridentin. ſeſſ. 24. cap. 4. Leſſ. de Juſt. & Jur. lib. 4. cap. 41. dubit. 8. num. 60. Filliucc. tract. 10. part. 1. cap. 2. quæſt. 11. num. 64. & ſeqq. Sanch. lib. 2. diſput. 19. & lib. 7. diſput. 25. num. 24. & diſput. 26. num. 4.* ac unanimis DD. conſenſus.

9 Si autèm votum hujuſmodi emiſſum fuit in ſuſceptione Ordinis Sacri, per illud non ſolvitur Matrimonium anteà ratum, & nondum conſumatum, ſed benè dirimitur Matrimonium poſteà contrahendum. *Text.* eſt expreſſus *in Extravagant. Antiquæ Joann. XXII. de Voto, Henriqnez lib. 11. cap. 6. num. 8. Rebell. lib. 1. de obligat. Juſt. ſectione 2. numer. 12. Bonacin. de Sacrament. Matrimon. quæſtione 3. punct. 4. numer. 6.* Et ratio diſcriminis, cùr profeſſio Religioſa matrimonium anteà tantùm ratum ſolvat, non autèm votum continentiæ Ordini Sacro annexum, in promptu eſt; quià ſcilicet per profeſſionem religio-

ſam cenſetur fieri perfecta traditio ſui ipſius, novumque ſpirituale coniugium cùm Religione, cui primum juxtà carnem initum meritò cedere debet, quæ perfecta traditio in ſuſceptione ſolius Ordinis Sacri non reperitur, teſte *Layman. lib.* 5. *Theol. moral tract.* 10. *part.* 4. *cap.* 3. *num.* 3.

10 Subdit tamèn Pontifex idem in laudata Extravagante, quòd coniux, qui ſine alterius coniugis licentia, nec juxtà ſacrorum Canonum diſpoſitionem, ſacrum Ordinem ſuſcepit, irregularis evadat, & moneri debeat, ùt Religionem ingrediatur; quòd ſi nolit, uxori eum repetenti reſtituendus ſit, ùt Matrimonium cùm ea conſumet, reddendo debitum, ſed non exigendo, ùt notat *ibidem Gloſ. in verbo conſumare*.

11 Votum verò ſimplex continentię in ſęculo editum, impedit quo minùs matrimonium licitè,non verò validè contrahatur, nec anteà contractum diſſolvit *cap. rurſus*, *& cap. conſuluit qui clerici*, *vel voventes &c. Sanchez lib.* 7. *diſput.* 11. *num.* 4. *& cum eo DD. communiter*;Ratio eſt, quià non eſt mutatio ſtatus facta ab homine in facie Eccleſiæ, cùm nulla fiat promiſſionem Eccleſia acceptante.

12 Tertium impedimentum dirimens eſt *Cognatio*,quæ triplex eſt: Naturalis, legalis, & ſpiritualis.

13 Quoad cognationem naturalem ſciendum eſt,quòd Juſtinianus *à* §. *Ergo* uſque *ad* §. *Sunt*, *& aliæ Inſtit. de nuptiis*, enumeret quaſdam perſonas, intèr quas ratione conſanguinitatis, vel affinitatis nequit contrahi Matrimonium. Quarè anſam nobis præbet cùm eo inquirendi; quid ſit conſanguinitas, quid affinitas, quomodò procedendum ſit in computatione graduum intèr conſanguineos, & affines, & ad quem uſquè gradum intèr eos matrimonium prohibeatur.

Conſan-

Digitized by Google

14 Conſanguinitas igitùr eſt vinculum perſonarum ab eodem ſtipite deſcendentium; & dicuntur *Conſanguinei*, veluti de communi ſanguine nati; juxtà *Altograd. conſ.* 95. *num.* 9. *&* 10. *lib.* 2. *Tuſch. litera* C. *concluſ.* 379.

15 Ex Conſanguineis autèm alii Agnati ſunt, alii Cognati.

16 Agnati ii dicuntur, qui nobis per lineam maſculinam ſunt coniuncti, & idem nomen, eamdemque gentilitiam familiæ teſſeram præferunt, ùt duo fratres ex eodem Patre, & eorum filii.

17 Cognati verò ſunt, qui nobis per lineam fœmininam ſunt coniuncti, & idem nomen, eademque familiæ inſignia non retinent ùt filii duarum ſororum.

18 Jàm verò conſanguinitatis triplex eſt linea.

19 Prima quæ dicitur aſcendens, vel ſuperior, eſt eorum, qui habent ergà nos relationem generantis, ùt Pater, Avus, vel Proavus.

20 Secunda deſcendens, vel inferior appellatur, eaſque perſonas continet, quæ genitæ ſunt, ùt filios, nepotes, & pronepotes.

21 Tertia vocatur tranſuerſalis, ſeù collateralis, eoſque complectitur, qui ad nos relationem non habent, nec generantis, nec geniti, ſed ex latere tantùm conjuncti ſunt, ùt duo fratres, & eorum filii; Patruus, ſeù frater Patris, & Amita, ſeù ſoror ejuſdem; vel Avunculus, ſeù frater Matris; & Matertera, ideſt ſoror ejuſdem.

22 Dividitur tranſverſalis hæc linea in æqualem, &
23 inæqualem. Æqualis eos reſpicit, qui æqualitèr à communi ſtipite diſtant, ùt duo fratres inter ſe.

24 Inæqualis verò perſonas continet, quæ à communi

ſtipite diſtant inæqualitèr, ùt frater, & filius alterius fratris.

25 Jàm verò quoad computationem graduum intèr conſanguineos prima regula ſit. In linea recta aſcendentium, & deſcendentium, tàm de Jure Civili, quàm Canonico tot ſunt gradus, quot perſonæ una dempta; v.g. ſi quæratur quoto gradu inter ſe diſtent pater, & filius numerandæ ſunt perſonæ, & quià duo ſunt, nempè pater, & filius, una dempta altera ſola remanet; adeoque dicendum erit, quod Pater, & filius ſint in primo gradu conſanguinitatis. Vide *Text. in l. Juris conſultus ff. de gradibus, & affinibus, & nominibus eorum.*

26 Secunda regula. In linea collaterali tàm æquali, quàm inæquali, ſi computatio fiat de Jure Civili, numerandæ ſunt perſonæ omnes quotquot ſunt tàm per aſcenſum, quàm per deſcenſum, & tot paritèr ſunt gradus, quot perſonæ una dempta; v. g. Duo fratres ex eodem Patre ſunt in linea collaterali æquali. Si quæratur ergò, quo gradu conſanguinitatis diſtent intèr ſe, numerari debent perſonæ omnes, & cùm reperiantur tres, nempè duo fratres, & communis Pater una dempta, duo remanent: Dicas igitùr de Jure Civili fratrem à fratre diſtare in ſecundo gradu. Sic etiàm Patruus, & nepos ex fratre ſunt intèr ſe in linea tranſverſali inæquali: Si velis igitùr ſcire, quo gradu intèr ſe diſtent, perſonas numera, & quatuor invenies, duos fratres, eorum Patrem, & filium unius ex fratribus, deme unam, tres remanent. Conclude ergò nepotem de Jure Civili eſſe cùm Patruo ſuo in tertio gradu conſanguinitatis *ad d. l. Juriſconſultus* ſuperiùs allegatam.

27 Tertia regula. Si computatio graduum in linea collaterali

laterali æquali fiat de Jure Canonico, & quæratur quoto gradu una perſona diſtet ab alia, numerandæ ſunt perſonæ per aſcenſum tantùm, & quo gradu utraque ex illis diſtat à communi ſtipite, eodem diſtabit à conſanguineo ſuo; v.g. Si quæratur, in quo gradu de Jure Canonico ſint intèr ſe duo fratres, quos dixi de Jure Civili eſſe in ſecundo gradu, inſpiciendum venit quo gradu eorum ſinguli diſtent à communi ſtipite, & eodem intèr ſe diſtare dicendum eſt. Reperietur igitur, ſecundum primam regulam à nobis relatam, diſtare fratrem à communi ſtipite, nempè à Patre ſuo in primo gradu, & in primo etiàm gradu erit cùm fratre.

28 Quarta regula. Si fiat computatio graduum conſanguinitatis de Jure Canonico in linea collaterali inæquali, debet fieri paritèr enumeratio per aſcenſum tantum, eam incipiendo tamèn ab ea perſona, quæ eſt à ſtipite remotior, & eo gradu, quo perſona à ſtipite remotior à communi ſtipite diſtat, eodem diſtabit à ſuo conſangineo: Ut eccè. Dixi de Jure Civili Patruum cùm nepote ex fratre eſſe in tertio gradu conſanguinitatis: Si autèm idem videndum ſit de Jure Canonico; incipienda eſt numeratio perſonarum à nepote ipſo, qui eſt remotior à communi ſtipite, & videndum, quo gradu ab eo diſtet. Reperietur igitùr, ſecundùm primam regulam à nobis relatam, nepotem eſſe cùm communi ſtipite, nempè cùm Avo in ſecundo gradu, & in ſecundo etiàm gradu erit cùm Patruo ſuo. Conſule *Gaſparem Manzium* de hoc latè differentem *lib.* 1. *Commentarior. titul. de nuptiis numer.* 12. *& ſeqq.*

29 Undè vides de Jure Canonico eodem modo fieri computationem graduum conſanguinitatis in linea colla-

collaterali, tùm æquali,tùm inæquali, ſcilicèt per ſolum aſcenſum, & hoc ſolùm diſcrimen intercedere, quòd in computatione facienda in linea inæquali, inchoanda ſit perſonarum numeratio à perſona illa, quæ eſt à ſtipite remotior, quòd fieri non eſt neceſſarium ſi computatio facienda ſit in linea traſuerſali æquali.

30 Ex quo nota pulchram, & ſubtilem differentiam intercedentem intèr Jus Canonicum, & Civile in hac materia quòd ſcilicèt de Jure Civili in linea collaterali unaquæque perſona adiecta ſtipiti novum gradum conſtituat: Ut Eccè. Ego ſum Patri meo in primo gradu conſanguinitatis de Jure Civili, ſed frater meus eſt mihi in ſecundo gradu, quià nova perſona,ſcilicèt fratre meo, communi ſtipite addita, novus gradus conſanguinitatis conſtituitur: De Jure autèm Canonico duæ perſonæ requiruntur, ùt novus gradus conſanguinitatis conſtituatur, nec ſufficit una. Patet in exemplo poſito. Egò ſum de Jure Canonico Patri meo in primo gradu, & frater meus etiàm eſt mihi in primo gradu conſanguinitatis, quià licèt nova perſona, nempe frater meus communi ſtipiti addatur, novus tamèn conſanguinitatis gradus non conſtituitur. Si tamèn duæ perſonæ communi ſtipiti addantur, nempè fratres meus, & filius fratris mei, & quæratur, quo gradu nepos ex fratre à me Patruo ſuo diſtet, dicendum eſt diſtare in ſecundo gradu, quià per additionem duarum perſonarum communi ſtipiti factam de Jure Canonico novus gradus conſanguinitatis conſtituitur.

31 Et ratio diſcriminis ea eſt, quià ùt dicitur *in Can. ad ſedem* 35. *quæſt.* 5. Computatio conſanguinitatis de Jure Civili attendi debet in delatione hęreditatum,

ùt

Digitized by Google

ùt ſcilicèt, ſi quis decedat ab inteſtato relictis pluribus conſanguineis, quorum quilibet hæreditati defuncti velit ſuccedere, facienda ſit computatio graduum conſaguinitatis ſecundùm Jus Civile, ùt dignoſcatur quis eorum defuncto ſit gradu proximior, & is cæteris præferatur; quarè cùm hæreditas deferri non poſſit niſi ab una perſona in aliam, v. g. fratre in fratrem, vel à Patruo in Nepotem &c. debet per conſequens unaquæque perſona communi ſtipiti addita novum gradum conſtituere. Jus autèm Canonicum computat gradus conſanguinitatis principalitèr propter matrimonia, ùt ſcilicèt appareat intèr quos conſanguineos Matrimonium contrahi poſſit, vel non; Unde cùmMatrimonium nequeat conſiſtere ſinè duabus perſonis, Viro nempè, & Uxore, quæ duo in carne una ſunt, nil mirum, quod de Jure Canonico duæ perſonæ unum tantùm conſanguinitatis gradum conſtituant *Text. in Can. ad ſedem* ſupra allegato.

32 Et quoniàm computatio graduum de Jure Canonico reſpicit Matrimonia inter Conſanguineos contrahenda, ſcire debes, quòd inter aſcendentes, & deſcendentes Matrimonium prohibetur in infinitum *Text. in l. nuptiæ ff. de ritu nuptiarum*, ex quo concludunt DD. quòd ſi Adam nunc viveret Uxorem reperire non poſſet, cùm omnes homines ab eo deſcendant; *Gloſ. in §. Ergò non omnes in verbo in Infinitum Inſtitut. de nuptiis*.

33 Inter conſanguineos autèm in linea collaterali, tùm æquali, tùm inæquali vetantur nuptiæ de Jure Canonico uſque ad quartum gradum incluſivè, ſervata tamèn in gradibus conſanguinitatis JurisCanonici computatione *Text. in cap. non debet §. Cùm ergò de conſanguinitate, & affinitate*.

Jàm

34 Jàm verò legalis cognatio eſt propinquitas perſonarum ex adoptione proveniens, & oritur vigore illius impedimentum dirimens inter adoptantem, adoptatum, & deſcendentes adoptati, necnon inter adoptatum, & decendentes adoptantis; Et per modum affinitatis intèr adoptatum, & uxorem adoptantis, ac intèr adoptantem, & uxorem adoptati *l. adoptivus ff. de ritu nuptiarum*.

35 Eſt autèm diſcrimen quoad has legales cognationes in hoc quod impedimentum inter adoptatum, & deſcendentes adoptantis ceſſet per emancipationem adoptati *cap. unico de cognat. legal.* non ceſſet autèm hoc modo dictum impedimentum intèr reliquas perſonas ſuperiùs recenſitas.

36 Unum adverte, quod ſcilicet hoc cognationis legalis impedimentum oriatur ex ea adoptione, quæ adrogatio, non autèm ſimplicitèr adoptio nuncupatur. Quià ſola adrogatio cauſat patriam poteſtatem, & filios adoptivos ſimiles reddit legitimis, & naturalibus *Sanchez lib.7.de matrim. diſput.63.num.9.*

37 Cognationis verò ſpiritualis impedimentum oritur primò ex Sacramento Baptiſmi, intèr baptizantem, & baptizatum; intèr baptizatum, & ſuſcipientes; intèr baptizantem, & patrem ac matrem baptizati, & inter patrem matremque baptizati, & ſuſcipientes.

38 Oritur ſecundò ex Sacramento Confirmationis paritèr eodem modo, intèr confirmantem, confirmatum, illius patrem, & matrem, ac ſuſcipientes. Ità diſpoſuit *Tridentinum ſeſſ.* 24. *de reformatione matrimonii cap.* 2.

39 Quæres autèm: An non baptizatus, in caſu neceſſitatis aliquem baptizans ſit capax cognationis ſpiritualis.

Reſ-

40 Reſpondeo negativè, quia cùm non ſit Chriſto ſpiritualitèr genitus, per Baptiſmum, neque poteſt hanc cognationem ſpiritualem contrahere: ſic *D. Thom. in quartum diſtinct.* 42. *quæſt.* 1. *art.* 3. *ad* 3. *Sanchez lib.* 7. *diſp.* 60. *Filliuc. tract.* 10. *part.* 2. *cap.* 5. *quæſt.* 7. *nu.* 193. *Specul.* 1. *part. art.* 56. *concl.* 6. *Sot. in* 4. *dict.* 42. *art.* 3. *Henriqu. lib.* 12. *cap.* 3. *num.* 4.

41 Imò nequè hanc cognationem infidelis contraheret poſtquàm ad fidem fuerit converſus, quià hæc cognatio compacta eſt ad ſimilitudinem relationis, quæ abſquè ratione fundandi non exiſtit. Ratio autèm fundandi hanc cognationem eſt Baptiſmus præteritus jàm ab infideli collatus, qui ampliùs non exiſtit *Reg. non firmatur de reg. Jur. in ſexto, Sanch. loco cit. nu.* 21. *&* 15. *aliique apud ipſum*.

42 *Crimen* eſt quartum impedimentum dirimens matrimonium.

43 Primum autèm crimen ità dirimens eſt machinatio mortis facta coniugi cùm propoſito Matrimonium contrahendi cùm alio, aut cùm alia *cap. ſignificaſti de eo qui duxit in matrimonium &c.*

44 Et in hoc caſu, vel qui occiſo coniuge matrimonio copulari deſiderant, ambo ejus in cædem conſpirarunt, & ſufficit cædem verè eſſe ſecutam, ùt impedimentum oriatur *cap.* 1. *de converſione Infidelium*; Vel alterutèr tantùm homicidii reus fuit, altero neſciente, vel invito, & ùt naſcatur impedimentum debuit ultrà homicidium ſecutum præceſſiſſe adulterium intèr tales homicidas *Sanchez lib.* 7. *de matrim. diſput.* 78. *num.* 9.

45 Alterum crimen Matrimonium dirimens eſt adulterium ex utraque parte commiſſum; ſi ſcilicèt adulteri durante legitimo Matrimonio intèr ſe, vel matrimo-

nium contrahant, vel promiſſionem præſtent de matrimonio contrahendo poſt mortem coniugis *cap. cùm habent, & cap. ultimo de eo qui duxit in Matrimonium &c.* Ratio autèm hujus impedimenti eſt, ne per promiſſionem ità datam captetur occaſio alterius coniugis occidendi.

46 Debet autèm hæc promiſſio futuri matrimonii fuiſſe abſoluta, ex animo facta, & mutuò ab adulteris acceptata, cùm alioquin non habeat veri pacti rationem *Layman. lib. 5. tract.* 10. *part.* 4. *cap.* 10. *num.* 4. *per totum*.

47 Quintum impedimentum dirimens ſtat in *Cultus* ſeù *Religionis diſparitate*; ſi ſcilicèt homo baptizatus contrahat Matrimonium cùm perſona non baptizata, etiàm cathecumena *Can. cave* 28. *quæſt.* 10.

48 Cæterùm matrimonium catholici hominis cùm heretica eſt mortalitèr illicitum, ſed validum; Quià eſt baptizati cùm baptizato *D. Thom. in quartum diſt.* 39. *quæſt.* 1. *art.* 1. *Sanchez lib.* 7. *diſp.* 71. *Guttier. de matrim. cap.* 104. *Reginald. lib.* 31. *numer.* 167. *Filliuc. tract.* 10. *cap.* 7. *num.* 125.

49 Imò qualibet etiàm culpa careret, ſi coniux hæreticus promitteret ſe poſt nuptias Fidem Catholicã fore ſuſcepturum, & cauſa adeſſet cùr nuptiæ anteponendæ eſſent abſolutioni ab hæreſi *Sanchez in ſum. lib.* 2. *cap.* 9. *num.* 9. *Coninch. de matrim. diſp.* 31. *dub.* 3. *nu.* 45. *Rolſcſius tract.* 4. *cap.* 10. *num.* 62. quod patet etiàm ex lege veteri, in qua licèt *Exodi cap.* 34. vetetur Judæis Uxorem accipere ex Gentilitate, quià averterent facilè corda eorum, ùt ſequerentur Deos alienos, ùt exemplo ſuo Salomon oſtendit; tamèn Boox Davidis proavus dixit Ruth Moabitidem, & Salomon Raab Meretricem, propterеà quod Judaiſmum ſuſcipere paratæ eſſent.

Vis

50 *Vis* eſt ſextum impedimentum dirimens, de quo agimus ſub titulo de Sacramento matrimonii agentes de matrimonio coacto.

51 *Ordo* eſt ſeptimum, de quo paritèr dixi in hoc titulo agens de impedimento Religionis.

52 *Ligamen* eſt octavum impedimentum dirimens, nempè, quod poſtquàm unus contraxit matrimonium ratum cùm aliqua perſona, nequeat, eo conſtante, cùm alia Matrimonium validum contrahere, quàmvis primum matrimonium ratum tantùm fuerit, nec adhùc conſumatum *cap. fin. de ſponſa duorum*.

53 Nonum impedimentum dirimens eſt *publicæ honeſtatis*, id eſt, quòd ſi contracta fuerint intèr aliquas perſonas ſponſalia de futuro, nequeat ſponſus, etiàm ſolutis ſponſalibus, contrahere matrimonium cùm conſanguineis ſponſæ in primo gradu,& è contrà neque ſponſa cùm conſanguineis ſponſi in gradu eodem. Quod ſi ſponſalia prædicta valida non fuerint, non oritur ex illis tale impedimentum, ità ſtatuente *Jure Canonico in cap. Juvenis, cap. veniens, cap. ad audientiam, & cap. ſponſam de ſponſal. cap. unico eodem tit. in ſexto, & Tridentino ſeſſ. 24. de reformatione matrimonii cap. 3.*

54 Advertendum tamèn cùm *Sanchez lib. 7. de matrimonio diſp. 69. num. 3.* quod ſi Cajus, v. g. contraxerit ſponſalia cùmBerta ſub conditione pendente in futurum, & poſteà eventum conditionis non expectans, ùt debuerat, contraxerit abſolutè nova ſponſalia cùm Mævia, ex neutro ſponſaliorum hujuſmodi oriatur impedimentum publicę honeſtatis: Non ex primis, quià ex ſponſalibus conditionatis antè eventum conditionis non oritur impedimentum, ùt dixit *Rot. deciſ.621. num.19. & ſeq. part.18. rec.* Non ex ſe-

cundis, quià hæc juxtà Tridentinum irrita ſunt, utpotè celebrata contrà fidem priorum ſponſaliorum; nequit autèm oriri impedimentum honeſtatis ex ſponſalibus irritis, & nullis.

55 Sin verò ponamus Cajum contraxiſſe ſecunda ſponſalia cùm Mævia ſub conditione expreſſa, vel tacita, ſi conditio priorum ſponſalium non eveniat, tùnc ea non eveniente purificantur poſteriora ſponſalia cùm Mævia, ùt deinde ne validè quidèm Cajus poſſit ampliùs ducere Bertam, ob impedimentum publicæ honeſtatis.

56 Rursùs ex Bulla S.Pii V.quæ incipit *Ad Romanum*, oritur hoc honeſtatis impedimentum ex matrimonio tantùm rato inter conſanguineos, qui ſunt alterutri ex coniugibus in quarto gradu cōſanguinitatis,etiàmſi dictum Matrimonium fuerit irritum ex quacumque cauſa; niſi tamèn fuerit irritum ex defectu conſenſus, vel impedimenti publicæ honeſtatis, ad mentem *Layman. lib.* 5. *cit. tract.* 10. *part.* 4. *cap.* 9. *num.* 5. *Sanchez lib.* 7. *diſput.* 70. *num.* 16. & aliorum apud ipſos.

57 Quarè in praxi, ſi Julius ſponſalia contraxerit cùm Berta, quæ deindè fuerit matrimonio rato, ſed nondùm conſumato, ducta ab Antonio fratre Julii, licèt hoc caſu Julius non teneatur Bertam ducere ob fidem ab ipſa violatam, tamèn ſi ducere velit illam, non prohibetur, quià Jura nolunt, ùt ſi ſponſalia præcedentia ratione publicæ honeſtatis Matrimonium ſubſequens cùm Antonio initum infirmarunt, ab eodem viciſſim infirmentur, ne inter duas deſponſationes detur quaſi mutua reactio, à qua maximè natura abhorret. Ità *Layman. loco citato num.* 6.

58 Decimum impedimentum dirimens, *Raptus* eſt,

ità

ità conſtitutum *à Triden. ſeſſ.* 24. *cap.* 6. *de reformat. matrimonii = Decernit Sancta Synodus intèr raptorem, & raptam, quamdiù ipſa in poteſtate raptoris manſerit, nullum poſſe conſiſtere Matrimonium. Quòd ſi rapta à raptore ſeparata, & in loco tuto, & libero conſtituta, illum in virum habente conſenſerit, eam raptor in Uxorem habeat, & nihilominus raptor ipſe, ac omnes illi conſilium, auxilium, & favorem præbentes ſint ipſo jure excommunicati, ac perpetuò infames, omniumque dignitatum incapaces, & ſi Clerici fuerint, de proprio gradu decidant. Teneatur prætereà raptor mulierem raptam, ſive eam in uxorem duxerit, ſive non duxerit, decentèr arbitrio Judicis dotare.* Et circà hoc impedimentum ejuſque efficaciam videantur *Pax Jordan. elucubrat. vol.* 1. *lib.* 3. *tit.* 7. *à num.* 261. *uſque ad num.* 288. *Menoch. lib.* 3. *præſumpt.* 1. *numer.* 101. *Azor. part.* 1. *Inſtit. moral. lib.* 5. *cap.* 20. *& part.* 3. *lib.* 3. *cap.* 15. *Rot. deciſ.* 60. *deciſ.* 165. *& deciſ.* 305. *part.* 15. *deciſ.* 250. *part.* 16. *rec.*

59 Imò nequè ſponſalia poterit raptor contrahere cùm rapta in poteſtate raptoris manente, quià matrimonio invalidato cenſentur irritata quoquè ſponſalia, quando eadem utriuſque prohibitionis eſt cauſa, ſcilicèt defectus plenæ libertatis, quæ in rapta ſub raptoris poteſtate manente præſumitur exiſtere, *juxtà Sanchez lib.* 7. *de matrimonio diſput.* 13. *num.* 17.

60 Tranſeo conſultò ab explicatione undecimi impedimenti, nempè *clandeſtinæ deſponſationis*, de illa enìm egi fusè ſub titulo *de Sacramento matrimonii*.

61 Jàm verò *Expers coeundi* expers paritèr eſt matrimonii contrahendi. Habet enìm duodecimum impedimentum dirimens Matrimonium, ideſt impotentiam.

62 Hæc autèm impotentia, vel eſt ad prolem generandam,

dam, quæ vocatur *Sterilitas*, & nullatenùs Matrimonium impedit *Filliuc. tract.* 10. *part.* 2. *cap.* 5. *quæſt.* 5. *nu.* 78. *Reginald. lib.* 31. *nu.* 103. *Sanchez lib.* 7. *diſp.* 92. *Guttier. de matrim. cap.* 112. *nu.* 16. *& Coninch. diſp.* 31. *dub.* 7. *num.* 86. vel eſt ad copulam, & ſi ſit perpetua, & ad copulam perfectam, dirimit Matrimonium ſubſequens, ùt conſtat *ex toto titulo* 15. *lib.* 4. *Decretalium Gregorii IX. inſcripto = de frigidis, & maleficiatis, & impotentia coeundi*.

63 Et ratio eſt quià contractus matrimonii includit eſſentialitèr obligationem dandi inter ſe corpora ad coniunctionem carnalem; inhabilis autem ad ſolvendum, eſt etiàm inhabilis ad promittendum.

64 Debet autem hæc impotentia eſſe perpetua, ideſt, quæ neque arte medica, neque conſuetis Eccleſiæ exorciſmis tolli poſſit, quamvis tolli queat cùm periculo vitæ ipſius impotentis, vel per illicitam incantationem, vel per miraculum, quià adhùc in morali hominum exiſtimatione impoſſibilis eſt illius curatio. Ità *Layman. laudato totiès lib.* 5. *tract.* 10. *part.* 4. *cap.* 11. *num.* 1. *Sot. in* 4. *diſtin.* 34. *quæſt. unic. art.* 3. *Sanchez lib.* 7. *diſp.* 93. *num.* 15. *Guttier. loco cit. num.* 12. *Filliuc. loco cit. num.* 68. 69. *&* 81. *Coninch. loco cit. nu.* 85. *Comitol. reſponſ. moral.* 118. *lib.* 7. *Zach. poſt* 2. *tom. quæſt. medicolegal. conſ.* 72. *num.* 3. *& poſt. ipſum Rota deciſ.* 51. *num.* 3.

65 Rursùs hæc impotentia, ex ſuperiùs dictis, debet eſſe ad copulam perfectam quæ ſit ſcilicèt cùm miſſione veri ſeminis in vas muliebre. Quare Eunuchi, & utroque teſte carentes, utpotè vero ſemine deſtituti ſunt inepti ad contrahendum Matrimonium, ex declaratione quadam Sixti V. ùt videre eſt apud *Guttier loco cit. num.* 11. *Reginald. loco cit. num.* 102. *Filliucc.*

liucc. loco cit. num. 76. *Sanchez dicto lib.* 7. *diſput.* 92. *numer.* 17.

66 Cæterùm, vel hujuſmodi impotentiam v.g. vir habeat quoad omnes fœminas, vel reſpectu ſuæ uxoris tantùm, nihil refert, quià adhùc impeditus erit à contrahendo matrimonio cum illa perſona, reſpectu cujus perpetuam patitur impotentiam, juxtà *Layman. ubi ſupra num.*3. §. *Sequitur ſecundò*.

67 Dixi tamèn hanc impotentiam perpetuam dirimere Matrimonium ſubſequens, quià ſi impotentia accedat poſt Matrimonium jàm ratum, quamvis non conſumatum, illud non dirimit *Sanchez lib.* 7. *de matrim. diſput* 97. *num.*2. *&* *diſp.*102. *num.*3. *Filliuc. loco cit. num.* 92. *&* *Coninch. loco cit. num.* 70.

68 Quòd ſi dubium ſit, an impotentia perpetua ſit, vel temporalis, & ſubſequens, indulget Lex illis *in cap. laudabilem de frigidis*, *&* *maleficiatis* tempus triennii; & interim licitum eſt illis conari ad copulam, & ſi per

69 accidens pollutio eveniat. Elapſo autèm triennio, & nulla ſecuta emendatione ſeparandi ſunt, permiſſa licentia coniugi, qui potens eſt ad alias nuptias tranſeundi, vel utrique coniugum, ſi utrumque pateat, vel poſſit præſumi ergà alias perſonas eſſe potentem. Vide *Sanchez lib.* 7. *diſputatione* 97. *Filliucc. loco citat. num.*105. *&* *ſequen. Reginald. loco cit. nu.*107. *Rot. poſt Zach. loco cit. deciſ.*48. *nu.*1. *&* 2. *&* *deciſ.*51. *per tot.*

70 *Ætas* eſt decimumquartum impedimentum dirimens Matrimonium, nempe decimuſquartus annus completus in maribus, duodecimus expletus in fęminis, antè quod tempus à Jure reputantur inhabiles ad Matrimonium contrahendum *cap. ultimo de doſpenſat. impuber*.

71 Cęterùm ſi certis conſtet indiciis puerum, & puellam

Digitized by Google

lam antè dictam ætatem, & rationis uſu, & coeundi facultate eſſe prædítos, Matrimonium validè contrahent, cùm malitia ſuppleat ætatem, juxtà *Menoch. de Arbitr. centur. 2. caſ. 58. per tot. & Navarr. in man. cap. 22. num. 29.*

72 Ultimum impedimentum dirimens eſt *Affinitas*, quę de Jure Civili eſt propinquitas perſonarum ex juſtis nuptiis, vel coitu intèr Virum, & Uxorem proveniens *ad Text. in l. non facile ff. de gradibus, & affinibus.*

73 De Jure verò Canonico eſt propinquitas perſonarum proveniens ex quocumque coitu etiàm illicito, dummodò ſit naturalis *cap. 1. & 2. de eo qui cognovit conſanguin. uxor. ſuæ*. Unde de Jure Canonico ego cùm Concubina fratris mei contraho affinitatem, de Jure autèm Civili, non, ſed illam utique contraho cùm Uxore fratris mei, ſi eam habeat.

74 Contrahitur autèm affinitas intèr maritum, & conſanguineos uxoris, ac intèr uxorem, & conſanguineos mariti, vel intèr virum carnaliter, & illicitè mulierem cognoſcentem, & conſanguineos mulieris cognitæ, & intèr mulierem carnalitèr, & illicitè cognitam, ac conſanguineos Viro eam cognoſcentis. Inter

75 conſanguineos verò mariti, & uxoris, vel mulieris cognitæ, & viri eam illicitè cognoſcentis nulla contrahitur affinitas; hinc eſt quòd duo fratres poſſint in uxores ducere duas ſorores *Text. in cap. quod ſuper extrà de conſanguinitate, & affinitate.*

76 Ad computandos tamen affinitatis gradus ità eſt procedendum. Inſpici debet, quo gradu conſanguinitatis conſanguineus alicujus ex coniugibus, vel habentis copulam illicitam, diſtet ab ipſo coniuge, vel habente illicitam copulam, & eodem affinitatis gradu ab altero coniuge, vel copulam illicitam habente di-

ſtare

Digitized by Google

ſtare dicendum eſt v. g. Si quæratur, quo gradu affinitatis ego diſtem ab uxore, vel concubina fratris mei; videndum eſt, quo gradu conſanguinitatis diſtem à fratre meo, & cum ab eo de Jure Canonico diſtem primo gradu conſanguinitatis, primo etiàm gradu affinitatis ab ejus uxore, vel concubina diſtabo *Text. in Can. porrò* 35. *quæſt.* 5.

77 Jàm verò inter Affines prohibetur matrimonium uſque ad quartum gradum incluſivè, ſi affinitas ex copula matrimoniali orta fuerit *Text. in cap.* 1. *extra de conſanguinitate, & affinitate*. Si verò provenerit affinitas ex coitu fornicario, utpotè quæ imperfectior eſt, prohibetur uſque ad ſecundum gradum incluſivè, ùt definivit *Concilium Tridentinum ſeſſ.* 24. *cap.* 4. *de Reformatione*.

78 Unum tamèn adverte, quod impedimentum affinitatis perſeveret etiam ſoluto matrimonio, ſeu poſt mortem alterius ex coniugibus; Hinc egò non poſſum ducere in Uxorem viduam à fratre meo relictam *ad Text. in Can. & hoc* 35. *quæſt.* 3.

79 Interìm ad impedimenta impedientia tantùm matrimonium, ordo doctrinæ me vocat, quæ ſequens verſiculus complectitur.

Interdico, Dies, Crimen, Sponſalia, Votum.

80 Primum namque impedimentum eſt *Interdictio* matrimonii ab Ordinario facta certis perſonis ex juſta cauſa, v. g. quouſque de objecti impedimenti veritate cognoſcat *Sylv. in Summ. verbo matrimonium* 7. *quæſt.* 1. *Sanchez lib.* 7. *diſp.* 7. *Navar. loco cit. nu.* 68. *Coninch. de matrim. diſput.*30. *dub.*3. *num.*23. *Reginald. loco cit. nu.*180. *Filliucc. loc. cit. cap.* 9. *quæſt.*1. *nu.*267.

81 Secundum imped'inentum eſt *tempus feriarum*, quo nuptiæ ſolemnes interdicuntur ab Eccleſia, & Tridentino *ſeſſ.24.cap.10.de reform. matrim.* nempè à prima Dominica Adventus, uſque in diem Epiphaniæ, & à feria quarta Cinerum, uſquè in octavamPaſchatis incluſivè.

82 Erant etiàm varia crimina, quæ juxtà ſacros Ca-
nones impediebant matrimonium, ſed de illis nec
83 verbum quidèm, cum teſte *Sanchez lib. 7. de matrimo-
nio diſp. 17. num.* 8. hodie per diuturnam deſuetudi-
nem penitùs ſint ſublata; adeòut Navarrus aſſerat ſe
toto vitæ ſuæ tempore nunquàm vidiſſe diſpenſatio-
nem petitam ſuper talibus impedimentis.

84 Quartum impedimentum conſtituunt *Sponſalia*, quæ niſi juſta cauſa diſſolvantur, impedimentum ſunt, quo minùs matrimonium licitè cum alia perſona contrahatur *Navarr. ibidem num.* 74. *Coninch. ubi ſupra, Sanchez lib.*1. *diſp.*27. *n.*2. *Reginald. loco cit. num.* 187. *Sà loco citato num.* 2. *Filliucc. loco citato n.* 274.

85 Et ultimum locum intèr hujuſmodi impedimenta obtinet *Votum ſimplex caſtitatis*, vel Religionis amplectendæ, aùt matrimonii non ineundi, ùt conſtat ex dictis ibi, ubi explicavi ſecundum impedimentum dirimens, quod vocatur *Religio*.

TITU-

Digitized by Google

TITULUS XIV.

De Divortio.

1 DIvortium eo modo, quo hìc ſumitur, definitur -- *Legitima ſeparatio Viri ab Uxore, manente adhùc vinculo coniugali.*

2 Primò igitùr poteſt fieri divortium, ideſt ſeparatio quoad ſolum thorum, & cohabitationem, ex mutuo conſenſu, ſi vel uterque perpetuam voveat caſtitatem, vel tranſeat ad Religionem *Sanchez lib.* 9. *diſput.* 7. *num.* 10. *Navarr. in man. cap.* 12. *num.* 59. *& cap.* 16. *num.* 3. *Pontius de matrim. lib.* 10. *cap.* 5. *num.* 19. *Villalob. in Summ. Theolog. part.* 1. *tractat.* 13. *diffic.* 54. *Layman. lib.* 5. *Theol. moral. tract.* 1. *part.* 3. *cap.* 10. *Leandr. de Sacram. tom.* 1. *tractat.* 9. *diſputatione* 35. *quæſt.* 78.

3 Secundò, ſi aliquis coniugum labatur in hæreſim, vel gentiliſmum *Can. Idololatria, & Can. non ſolùm* 28. *qu.* 1. *Coninch. diſp.* 35. *de Matrim. dub.* 4. *n.* 24. *Sanch. lib.* 10. *diſput.* 15. *num.* 9. *Layman. loco citato cap.* 7. *num.* 16.

4 Tertiò, ſi ùnus Coniux alium incitet ad gravia crimina committenda, puta ad ſodomìam, apoſtasìam, venefica &c. Non enìm debet coniux innocens ſubire ſalutis ſpiritualis detrimentum *cap. quæſivit de divort. dicto Can. Idololatria, Navarr. loco cit. num.* 22. *Card. Bellarm. de matrim. lib.* 1. *cap.* 14. *Sanch. lib.* 10. *diſput.* 17. *num.* 5. *& ſeqq. Pontius lib.* 9. *cap.* 23. *nu.* 1. *&* 2. *Coninch. & Layman. locis citatis.*

5 Quartò : Sævitia alterius ex coniugibus ſufficiens eſt cauſa petendi divortii ; imò ſi ex illa grave damnum corporale alteri coniugi immineat, poteſt propria authoritate ab alio divertere *Sanchez lib.* 10. *de matrimonio diſput.* 18.

Hæc tamèn ſævitia, ùt ſuffragari poſſit Coniugibus ad effectum ſeparationis thori, debet concludentèr probari per teſtes omni exceptione majores, debetque eſſe talis, quæ inferat metum gravem, & cadentem in conſtantem virum, adeoque non ſufficit unicus actus, licèt atrox, nec unquam divortio cauſam præbet, ſi ſecuta ſit inter Coniuges reconciliatio. Vide latè ad materiam *Sperell. deciſ.* 39. *per tot. Sanſelic. deciſ.* 361. *cùm addit. Rot. coram Merlin. deciſ.* 445. *coram Peuting. deciſ.* 235. *& in recent. deciſ.* 155. 191. 231. *&* 324. *part.*6. *dec.* 323. *part.*9. *dec.* 35. *part.* 11. *deciſ.* 99. *part.*16. *deciſ.*115. *&* 463. *part.*18.

6 Quintò : Si Vir emiſerit votum ultramarinum liberandi Terram Sanctam, illud invita etiam Uxore implere poteſt *Text. eſt in cap. ex multa §. In tanta de voto.*

7 Et ultimò : Divortium fieri poteſt ob fornicationem carnalem, ſcilicèt adulterium, ſodomìam, vèl beſtialitatem ab uno ex coniugibus perpetratam. Ratio eſt, quià in dicto caſu Coniux fornicarius dividit carnẽ ſuam cùm tertia perſona, adeoque nõ ſervat matrimonii fœdus requirens coniuges eſſe duo in carne una *cap. ſignificaſti, cap. gaudemus, & cap. ex literis hoc tit. Abb. in cap. Maritus de adult. num.* 3. *Coninch. loco citato dub.* 1. *concluſ.*5. *Pontius lib.*9. *cap.* 16. *num.* 5. *Clar. in prax. §. Sodomìa nu.* 7. *ibique Bajard. num.*11. *Farinacc. de delict. carn. quæſt.* 143. *num.* 83. *Sanch. lib.*10. *diſput.* 4. *num.*3. *Maſſin. de confiſc. bonor. queſt.* 9.

Digitized by Google

quæſtione 9. *num.* 23. *Antonin. reſolut.*46. *num.*8. *&* 9. *lib.* 3. *Sperell. deciſ.* 140. *num.* 38. *& ſequentibus part.* 2.

8 Divortium autèm ex hoc capite permittitur à Jure divino; ait enìm Chriſtus *cap.* 29. *Matthæi -- Quicumque dimiſerit uxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mæchatur*.

9 Nec inferas ex dictis Chriſti verbis non eſſe aliam cauſam divortii petendi præter fornicationem coniugis.

10 Facilè enim objecto occurro afferendo diſcrimen intèr hanc cauſam divortii, & alias enumeratas, quod nempè hæc cauſa tantùm eſt perpetua, cùm aliæ tales regularitèr non ſint: ceſſante enim hæreſi, ſævitia, incitatione ad peccatum, vel voto ultramarino ſoluto, coniux ſeperatus tenetur ad alium expectantem redire, ùt colligitur *ex capitulis ſignificaſti, & aliis num. præcedente allegatis*.

11 Dantur tamèn, & aliqui caſus, in quibus non licet dimittere uxorem ratione adulterii.

12 Primus eſt; quandò adulterium tantùm materialitèr adfuit, ùt ſi mulier vi cognita fuerit, vel ab aliquo ſe maritum gerente *Can. ità ne, & Can. propoſito* 32. *quæſtione* 5. *& Can. in lectum* 35. *quæſtione* 1. *&* 2.

13 Secundus eſt, ſi maritus, vel conſilio, vel conſenſu induxerit uxorem ad adulterandum; argumento *text. in capitulo diſcretionem de eo, qui cognovit conſanguineam &c. Sanchez dictolib.* 1. *diſp.* 5. *à num.*5. *Guttier. de matrim. cap.* 129. *num.* 16. *Pontius loco cit. num.* 7. *Coninch. dicta diſp,* 3. *dub.* 2. *num.* 8. *Layman. loco cit. cap.* 7. *num.* 8.

14 Tertius eſt: quando adulterii reus eſt coniux uter-

que

que, quià mutua delicta, mutua compenſatione tolluntur; juxtà *cap. intelleximus de adulteriis cap. ſignificaſli, & cap. ex literis hoc tit. l. ſi Uxor ff. ad l. Juliam de adult. & l. Viro ff. ſol. matr.* Quamvis unus prior commiſerit adulterium, & authoritate Judicis fuerit ab alio ſeparatus, & alius poſteà adulterium, & ipſe committat *Gloſ. in cap. ultim. de adulter. in verbo fornicationis Sanchez loco citato num. 2. Pont. loco citato cap. 17. à num. 5. Coninch. ubi ſupra num. 12. Guttier. ibidem numer. 15. & Layman. loco citato num. 13.*

15 Ultimus caſus eſt: Si Coniux innocens remittat reo injuriam ſibi illatam, vel expreſsè, vel tacitè poſt cognitum adulterium exercendo actum coniugalem cum adultero: quià, *qui juri ſuo renunciat, illud repetere non poteſt*: ait *Gloſ. in Can. quam periculoſum 7. quæſt. 1. in verbo quam periculoſum l. ſi maritus §. Si negaverint ff. ad l. Juliam de adult. Dian. part. 11. tract. 5. reſol. 47. Caſtropal. part. 5. oper. moral. tract. 28. diſp. 3. punct. 6. §. 2. num. 4. & Rota poſt vol. 2. conſil. Farinacc. deciſ. 193.*

TITU-

Digitized by Google

TITULUS XV.

De Eccleſiis ædificandis, vel reparandis.

1 SUB prima parte diviſionis rerum ſpiritualium, nempè ſub rebus ſpiritualibus corporalibus, Eccleſiæ materiales continentur, ideò poſt Sacramenta de illis agitur.

2 Nomine igitùr Eccleſiæ hìc non venit cætus, ſeu Congregatio omnium fidelium, ſed *ædes, ſeù domus ſacra Epiſcopi authoritate extructa, in qua conveniunt fideles ad rem divinam audiendam, & Sacramenta ſuſcipienda*. Quæ alio nomine *Templum* dicitur, & nunc temporis Eccleſiæ majores,& Principes *Baſilicæ* dicuntur,ideſt *Domus Regiæ*, ùt notat *Abb. ad rubric. tit. de conſecrat. Eccleſ. num.* 2.

3 Rogabis autèm primò, quinam poſſit Eccleſiam ædificare.

4 Reſpondeo: quilibet, dummodò alteri Eccleſiæ præjudicium non inferat, & interveniat conſenſus Ordinarii, ſeù Superioris legitimi *Can. nemo de conſecrat. diſtinct.* 19. *cap. ad hæc de Relig. dom. & cap. cùm olìm §. Prætereà de privileg.* qui poteſt compelli à ſuo Superiore, puta Archiepiſcopo ad conſentiendum, ſi abſquè juſta cauſa conſenſum deneget *Pax Jordan. tomo primo libr. quinto tit.* 8. *numero* 45., *Zerol. in prax. Epiſcop. parte prima verbo Eccleſia in princip. Solorzan. de Jure Indiar. tom.* 2.

tom. 2. lib. 3. cap. 23. num. 18. Paul. Fuſch. de viſitatione lib. 2. cap. 10. num. 2. Barboſ. de officio, & poteſt. Epiſcop. part. 2. alleg. 26. num. 1.

5 Adverte tamèn ſufficere ſi conſenſus Ordinarii accedat ex poſt facto, ideſt poſt extructam Eccleſiam, imò ſufficere conſenſum tacitum, ſi nempè ſciat, & non contradicat; idque in favorem cauſæ piæ, & Religionis: Expedit enim fideles, ac præſertìm laicos allicere ad Eccleſias conſtruendas. Conſule *Abb. in cap. cura num. 4. de Jurepatr. Selu. de beneſ. part. 1. quæſt. 6. numer. 21. Azor. inſtit. moral. part. 2. lib. 9.*

6 *cap. 3. quæſt. 6.* Privatum verò Oratorium, etiàm ſinè conſenſu Epiſcopi, extrui poteſt; dummodò tamèn ad Miſſam inibi celebrandam ejus conſenſus requiratur; juxtà *Trid. ſeſſ. 22. in decreto de obſervandis, & evitandis in celebratione Miſſæ §. Neminem prætereà.*

7 Adverte ulterius debere Epiſcopum, vel per ſe, vel per aliùm accedere ad locum ubi ædificanda eſt Eccleſia, & publicè atrium deſignare, ibique Crucem figere, & primarium lapidem ponere *Can. nemo de conſecrat. diſtinct. 2. ibique Gloſ. verbo veniat. Concil. Agathenſe Can. 27. relat. in cap. de Monachis 18. quæſt. 2. & Concil. Chalcedonen. act. 11. cap. 4. regiſtrat. in Can. verè 16. quæſt. 1. & in Can. quidam 18. quæſt. 2. Azor. loco citato quæſt. 4.*

8 Rogabis ſecundò: an poſſit cogi Dominus ad vendendum ſolum pro ibi ædificanda Eccleſia.

9 Reſpondeo cùm diſtinctione. Si ſit neceſſaria edificatio novæ Eccleſiæ, poteſt Dominus ſoli cogi ad illud vendendum, quià publicus favor, nempè Re-
10 ligionis, eſt præferendus privato: Sin autèm ædificatio ſit utilis, ſed non neceſſaria, nequit cogi ad vendendum, niſi ex reſcripto Principis, quia de

de Jure nemo cogitur invitus vendere rem ſuam; per *Text. in l. nec emere C. de Jure delib. & l. invitum C. de contrab. empt.* Ità *Gonzal. Tellez.in cap. ad audientiam hoc tit. num.* 3. *propè fin. Cyriac. controv.* 231. *numer.* 2. *&* 14. *Covar. lib.* 3. *var. cap.* 14. *numer. fin. Guzman. de evictio. quæſt.* 52. *num.* 23. *&* 31. *in fin. Amoſtaz de cauſ. Piis lib.* 4. *cap.* 1. *num.* 42. *Card. de Luc. de Servit. diſcurſ.* 33. *num.* 4. *Eminent. Corradin. de prælat. quæſt.* 48. *num.* 94.

11 Rogabis Tertiò: An, & ex quibus cauſis poſſit erigi nova Eccleſia, vel Parochia intrà limites alterius.

12 Reſpondeo proptèr magnam diſtantiam, aùt difficultatem, vel incommodum adeundi Eccleſiam Parochialem ad divina officia audienda, vel Sacramenta ſuſcipienda *Text. eſt expreſſus in cap. ad audientiam. hoc tit.* confirmato explicitè à *Trident. ſeſſ.* 21. *cap.* 4. *de reform.* puta ſi hiberno tempore, vel pluvio parochianis reddatur difficilis acceſſus ad Parochiam veterem, vel ſi intèr Parochiam, & Pagum ipſi ſubiectum flumen intercedat, quod Pontem non habeat, nec vado queat tranſnatari &c. Conſule *Fagnan. in dicto cap. ad audientiam num.* 18. *& ſeqquen. Azor. Inſtit. moral. part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 12. *quæſt.* 7. *Pax Jordan. loco citato num.* 42. *& ſeqq. Rot. deciſ.* 484. *num.* 2. *&* 3. *part.* 1. *recent.*

13 Notandum tamèn ſolùm populi numerum, cui unus Parochus non ſufficiat, non eſſe ſufficientem cauſam erigendi novam Parochiam intrà limites alterius, ſed juxtà diſpoſitionem *Tridentin. loco citato* cogendus eſt Rector ad comparandos ſibi tot Sacerdotes, quot ſufficiant ad benè gerendam curam animarum *Garz. de Benefic. part.* 12. *cap.* 3. *num.* 10. *& alii, quos refert Barboſ. ad dictum Concil. cit. cap.* 4. *num.* 1.

Eccleſiæ Matricis, imò omnes habentes intereſſe quoad erectionem novæ Eccleſiæ, juxtà declarationem *Sac. Congreg. Concilii relat. à Fagnan. loco citato num.* 29. *Abbas in citato cap. ad audientiam num.* 16. *Rebuff. tit. de erect. Curat. num.* 4. *Azor. Inſtit. moral. part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 12. *quæſt.* 7. *Amoſtaz. de cauſis Piis lib.*5. *hoc tit. cap.*4. *num.*20. *& ſignantèr* 26.

21 Notandum quartò, non poſſe erigi novam Parochiam niſi ſaltèm in ejus diſtrictu ſint decem Parochiani, quià decem faciunt plebem *Gloſ. in cap.* 1. *verbo duo de elect. & in Can. unico* 10. *quæſt.* 3. *verbo mancipia*; *ac Fagnan. loco citato num.*28.

22 Notandum quintò, juxtà *Trid. loco citato* Parochiæ de novo erectæ eſſe aſſignandos redditus detractos ex redditibus Eccleſiæ Matricis, niſi adſit alius qui velit

23 illã dotare. Quod ſi redditus præfati non ſufficiant ad ſubſtentationem novi Rectoris, cogendus eſt populus ab Epiſcopo ad ſuppeditanda illi neceſſaria *Lambert. de Jure patr. lib.* 1. *prima part. quæſt.* 5. *art.*18. *in fin. Bellet. diſquiſit. Clerical.* 1. *part. tit. de Clerico debitore* §. 14. *numer.* 7. *Barboſ. ad Concil. Tridentin.*

24 *dicto cap.*2. *num.*15. & in omnem caſum tenetur providere Epiſcopus *Can. Præſulum* 2. 16. *quæſt.* 3. *Can. regenda* 4. 10. *quæſt.*1. *Can. Epiſcopus* 7. 10. *quæſt.* 2. *& Amoſtaz. loco ſuprà citato à numer.* 34. *uſque ad* 37. ac in horum omnium defectum debebit Rector honeſto artificiolo ſibi victum quærere, juxtà *Fagnan. loco citato num.* 7. *&* 32.

25 Notandum ſextò, Eccleſiæ Matrici à nova Parochia præſtandum eſſe honorem competentem, juxtà

26 dictum *cap. ad audientiam*; quem honorem *Gloſ. ibidem verbo honor* putat conſiſtere in penſitatione an-

27 nua ſolvenda Eccleſiæ Matrici *Hoſtien.* autèm *in dicto*

R 2 *cap.*

cap. col. 2. *ibique Joan. And. num.* 10. cenſent hunc honorem in eo ſtare,quod Clerici novæ Parochiæ teneantur adire majorem Eccleſiam pro Baptiſmo, ſepultura, & ſcrutinio, vel ſolvere jura Parochialia, quæ Capella de Jure, vel conſuetudine debet Eccleſiæ Matrici *juxtà cap.* 2. *de Capell. Monach.*

28 Sic ædificantur Eccleſiæ. Sed cùm Ædificia etiàm ſuas habeant ætates, & ſenium patiantur *juxtà Text. in l. ſi quandò C. de oper. public. & l. vulgo, ac l. do-*
29 *mus ff. de leg. & Fideic.* 1. ſi Eccleſia diruta adeò ſit, ùt nova reparatione indigeat, reparanda eſt ſervato ordine legali exiſtente in *cap.* 1. *& cap. de his hoc tit.* confirmato *à Triden. ſeſſ.* 21. *cap.* 7. *de reformat.*

30 Si Eccleſia igitùr habeat portionem redditũum fa-
31 bricæ deſtinatam, ex illis reficienda eſt *Concil. Trid. ſeſſ.* 21. *cap.* 7. *de reformat. Azor. inſtit moral. part.* 2. *lib.*9 *cap.*3. *quæſt.* 10. *Solorzan. de Jur. Indiar. tom.*2. *lib.* 3. *cap.* 23. *num.* 12. *Sperell. deciſ.* 67. *à num.* 1. Si verò non habeat, vel eſt Eccleſia Cathedralis, & Epiſcopalis, & Canonici ex fructibus præbendarum tenentur illam reficere *cap. fin. de his quæ fit à major*
32 *&c. & Barboſ. loco citato cap.* 4. *num.* 9. Vel eſt Eccleſia Parochialis, & tenetur illam reficere Rector, ac alii Beneficiarii in ea Beneficia habentes, & ibi Penſiones obtinentes, imò omnes percipientes decimas ex dicta Eccleſia, juxtà *Barboſ. de poteſt. Epiſc. part.* 3. *alleg.* 64. *numer.* 4. *Amoſtaz. loco citato lib.* 5. *cap.* 6. *num.* 6. qui cùm ſentiant ex tali Eccleſia com-
33 modum, debent etiàm hoc onus ſubire. Si autem neque horum portiones ſufficiant, Parochiani cogendi erunt ad eam ſuis ſumptibus reparandam, quorum intereſt Templa habere.

34 An autem forenſes poſſidentes bona intrà limites

Eccle-

Eccleſiæ reparandę teneantur ad reparationem illius, dubitatur.

35 Reſpondeo negativè, quià onus reparationis eſt perſonale,adeòquæ impoſitum bonis quoad perſonas Eccleſiæ reparandæ ſubiectas, non autem bonis ſimplicitèr, juxtà *Natt. conſ.* 215. *Tondut. reſol. can.* 38. *numer.* 4. *& Theſaur. deciſione Pedemont.* 149. *& ibi adden.*

36 Limita in caſu, quo forenſis domicilium haberet in illo loco, & ibi majore anni parte habitaret, juxtà *Barboſ. de poteſt. Epiſc. loco citato nu.* 10. *& Cabed. deciſ. Luſitan.* 91. *num.* 9. *Tondut. loco citato nu.* 5.

37 In his tamen omnibus principalitèr, & primariò ſtandum eſt locorum conſuetudini, quę plurimum hic
38 operatur, ùt monet *Natt. conſ.* 447. *& Tondut. loco citato in fine*, quæ conſuetudo ex æquitate obtinere ſolet, ùt Rector teneatur ad reparationem presbyterii, populus verò ad reficiendam navim Eccleſiæ: juxtà *Ludovic. Bellon. conſ.* 144. *per tot. & Tondut. loco*
39 *citato num.* 15. *propè finem*; nomine autem presbyterii venit manſio propè Altare majus, quæ ſolet cancellis includi, & ubi Presbyteri ſedere ſolent, & alio nomine vocatur Diaconium; eo quià ibi Presbytero celebranti Diaconus, & Subdiaconus miniſtrent *cap.* 1. *de vita, & honeſt. Cleric. Canon. Sacerdotum de conſecrat. diſtinct.* 2. *Anton. Auguſtin. in Epitom. Jur. Pontific. Veter. lib.* 13. *tit.* 26. *cap.* 1. *Durant. de rit. Eccleſiaſt. lib.* 1. *cap.* 17. *num.* 2. *Lotter. de re Benefic. lib.* 1. *quæſt.* 13. *à num.* 20. *Franceſ. de Eccleſ. Cathedr. cap.* 5. *num.* 31. *& ſeqq. Pignatell. conſult.* 3. *num.* 8. *tom.* 3. *& conſult.* 35. *num.* 1. *& ſeqq. tom.* 7. dixitque noviſſimè *Rot. in Pampilon. Præeminentiarum* 3. *Februarii* 1700. *§. Indè coram R. P. D. del Olmo.*

Patro-

40 Patronus autèm non tenetur ad refectionem Eccleſiæ patronatæ ùt ex *Lambertino* docet *Barboſ. in dicto cap. de his hoc tit.* niſi quando in prima fundatione Juriſpatronatus reſervaſſet ſibi aliquos fructus, aùt penſiones, tunc enìm teneretur reparare, ùt ait *Tridentinum loco citato Navarr. de reddit.* 1. *part. monit.* 82. *num.* 3. *Salgado de protect.* 3. *part. cap.* 5. *num.* 6. *Guttier. alleg.* 10. *num.* 7. *in fin.*

41 Omnia verò hactenùs dicta militant in reparatione neceſſaria Eccleſiæ, quæ nempè fit proptèr vetuſta-
42 tem, aùt fortuitam Templi ruinam; Si enìm reparatio ſit voluntaria, puta quià voluntaria quorumdam vaſtatione Templum ruerit reparandum eſt ſumptibus ejus, qui deſtruxit *Canon. quiſquis* §. *ult.* 17. *quæſt.* 4. *cap. conquæſtus de for. compet. Canon. ſi quis* 14. 17. *quæſt.* 4. *Decian. tract. Crim. lib.* 2. *cap.* 36. *Boſſ. in prax. Crimin. tit. de Sacrilegiis numer.* 7. *Tuſch. tom.* 4. *litt. l. concluſ.* 445. *num.* 19. *& concluſ.* 446. *numer.* 10.

43 Quod ſi Everſoris bona non ſufficiant, recurrendum eſt ab Fabricam, Clericos, & Parochianos, juxtà ordinem ſuprà relatum, teſte *Gonzal. Tellez. in Comment. ad primum hoc tit. num.* 7. *in fine.*

44 Adverte jàm non poſſe quidquam intèr vivos donari Eccleſiæ extruendæ, poſſe tamèn legari, vel relinqui per aliam ultimam voluntatem, per *Text. in cap. nos quidem de teſtam. cap. Abbate de ſent. ac re judic. in ſexto, & l. Servos* 17. *ff. de aliment. & cibar. leg.* Ratio diverſitatis traditur *à Gloſ. in l. illud, verbo ſed quid dicam Cod. de Sacroſan. Eccleſ. & Abb. in dict. cap. ad audientiam num.* 5. quià donatio cùm ſit contractus requirit ad ſui validitatem acceptationem donatarii, per ſe, vel per alium factam quod fieri nequit ab Eccleſia extruenda, quæ nondum eſt; Le-

gatum

gatum verò non requirit acceptationem legatarii, quià eſt exequendum ab hærede, & ab illo ſolvetur ubi Eccleſia exiſtet. Teſtator autèm legans, vel inſtituens hæredem Eccleſiam etiàm extruendam cenſetur inſtituere hæredem animam ſuam, & executionem committere Epiſcopo loci, vel aliis à ſe nominatis *Abb. in cap.3. de ſent. & rejudic. in ſexto num.5.*

45 Dubium tamèn reſtat an Epiſcopus poſſit cogere eos, qui tenentur ad Eccleſiam reparandam, ad illam paritèr ampliandam ſumptibus propriis.

46 Reſpondeo negativè, quià ampliatio eſt nova conſtructio, adeoque eſt facienda ſumptibus ejus, cui incumbit Eccleſias conſtruere, nempè Epiſcopi, vel Fundatoris, & licèt res communis refici poſſit ſumptibus Sociorum, non poteſt tamèn eis invitis ampliari. Conſulas *Gonzal. in cap.* 1. *hoc tit. num.* 6. *in fine, & Gratian. tom.* 1. *diſcept.*84. *num.*21. *Rot. coram Dunoz. Jun. deciſ.* 576. *numer.* 2. *in rec. deciſ.* 26. *numer.* 31. *part.* 10. *deciſ.* 161. *num.* 9. & *deciſ.* 227. *numer.* 8. & 13. *part.* 14.

47 Quòd ſi ulteriùs quæras an poſſit cogi vicinus ad vendendum vigore retractus ſolam ſuum pro Eccleſia amplianda, juxtà diſpoſitionem *Text. famigerati in l. Si quis ſepulchrum ff. Relig. & ſumpt. funer.*

48 Reſpondeo non poſſe cogi in caſu, quo ampliatio ſit utilis tantùm, ſed unicè in caſu, quo ſit neceſſaria præcisè; in hoc enìm caſu habet locum laudatus textus, ùt apparet ex ejus verbis ibi = *Si quis Sepulchrum habeat, viam autèm ad Sepulchrum non habeat &c.* Ità *Capon. controv.* 1. *num.* 41. *Grat. diſcept.* 742. *numer.* 25. *Tondut. quæſt. Benefic. part.* 3. *cap.* 146. *numer.*3. *Card. de Luca de ſervit. diſc.*82. *num.*4. *R. P. D. Zaulus ad ſtatut. Favent. lib.* 5. *rubr.* 21. *numer.* 21.

Eminentiſs.

Digitized by Google

*Eminentiſs. Corradin. de prælat. quæſt.*48. *n.*94. *Giurb. deciſ.* 86. *num.* 10. *Rota coram Manzaned. deciſ.* 428. *num.* 3. *in recentior. part.* 1. *deciſione* 372. *num.* 3. *&* *in Romana retractus* 10. *Martii* 1690. §. *Fin. &* 24. *Martii* 1692. *in princ. &* §. *Neque ex eo coram bo.*
49 *mem. Benincaſa*. Et quod major ornatus, & pulchritudo Templi non ſit ſufficiens cauſa pro concedendo retractu dixerunt *Merend. contr. lib.* 1. *cap.* 30. *num.* 16. *R. P. D. Zaul. loco cit. in fine*, *Giurb. loco citato propè finem*, *Card. de Luca loco citato*, *Tranchedin. conſult.*19. *num.*77. *& Guzman. de evict. quæſt.*52. *num.* 27. *in fine*.

50 Adeòque etiàm in terminis neceſſarię ampliationis, Eccleſia non poteſt uti retractu contra vicinum, niſi ſi modicum illi incommodum, & nocumentum afferatur, nàm quamvis favor Religionis, & divini cultus magnus ſit, tamèn non patitur ùt alteri injuria irrogentur *Valenzuel conſ.*18. *num.* 21. *lib.*1. *Theſaur. quæſt. forenſ. lib.* 1. *quæſt.* 64. *num.* 9. *Franc. de Eccleſia Cathedral. cap.* 10. *numer.* 132. 150. 156. *& ſeqq. Barb. vot.* 102. *num.* 4. *lib.* 3. *& Rota in dict. Romana retractus anni* 1690. §. *Cùm enìm*, *& anni* 1692. §. *Pontificio*. *Et in recentior. deciſ.* 327. *num.* 3. affert *part.* 4. exemplum Achab Regis Samariæ, qui cùm retrahere vellet exiguam Vineam Naboth, iſte juſtè denegavit aſſenſum, ùt habetur *Reg.*3. 21.

TITU-

Digitized by Google

TITULUS XVI.

De Conſecratione Eccleſiæ, vel Altaris.

1 ECclesia fundata, conſtructa, & dotata conſecrari ſolet, hocque ex uſu ſacro, & vetuſtiſſimo, tùm in lege naturæ, tùm gratiæ. In lege
2 enìm naturæ, ùt habetur *Gen. cap.* 28. Jacob erexit lapidem, ùt ibi ſacrificaret, eumque conſecravit fundens oleum deſuper, & appellavit domum Dei. In
3 lege ſcripta Moyſes conſecravit Oleo Sacro, aliiſque cæremoniis Tabernaculum, Altare, & omnia Vaſa
4 ſacra *Exod. cap.* 40. *& Numer. cap.* 7. In lege autèm gratiæ præcepta, & uſu recepta eſt Altarium, & Eccleſiarum conſecratio, ùt ex *Canon. Altaria, & Canon. Eccleſias de conſecrat. diſtinctione* 21. cujus conſecrationis ſantiſſimum Ritum, ejuſque ſolemnitates Catholicis exponit, & ab Hæreticis latè vindicat *Eminentiſſimus Bellarmin. lib.* 3. *de Eccleſ. controv.* 1. *cap.* 3. *§. Quin ergo, & ſeq. & Turrecr. in Can. omnes de conſecr. diſtinct.* 1.

5 Conſecrari igitur debet Eccleſia ab Epiſcopo proprio illius loci *cap. nemo, & Can. nullus de conſecrat. diſtinct.* 1. *cap. tua fraternitas de conſecrat. Barboſ. de Offic. & poteſt. Epiſcop. part.* 2. *alleg.* 27. *num.* 1. *Del Bene de immunit. & juriſd. Eccleſ. tom. primo cap.* 2. *dubit.* 2. *ſect.* 10. *num.* 1. qui debet non ex neceſſitate,
6 ſed ex uſu communitèr ab Eccleſia Romana recepto

ibi Miſſam celebrare *Can. omnes*, *& Can. de fabrica*
7 *dicta diſtinct. Paſſerin. de Eccleſ. reconc. diſputat.* 3. *cap.* 5. *num.* 1. *ergà med.* & debet Eccleſiæ conſecrandæ priùs de competenti dote fuiſſe proviſum *cap. cùm*
8 *ſicut hoc tit.* dos autèm dicitur competens Eccleſiæ Parochiali, quæ ſufficit pro luminaribus, & ad honeſtam ſubſtentationem Parochi cùm uno Clerico Miniſtro *Can. nemo dicta diſtinct. ibique Gloſ. verbo Cu-*
9 *ſtodum*, *& Can.* 1. *quæſt.* 2. Eccleſiæ autèm Collegiatæ talis aſſignanda eſt dos, qua Miniſtri in illa inſtituendi vivere poſſint *dicto Can.* 1.

10 Quæres autèm primò, in quibus caſibus Eccleſia execretur itaut nova conſecratione indigeat.

11 Dico primò: ſi neſciatur, vel dubitetur an fuerit conſecrata, nec ne, nullumque habeatur argumentum de ejus conſecratione, debebit conſecrari, per *Gloſ. in cap. propoſuiſti verbo reconciliari hoc tit. Azor. Inſtit. moral. part.* 1. *lib.* 10. *cap.* 26. *quæſt.* 12. *& part.* 2. *lib.* 9. *cap.* 4. *quæſt.* 5.

12 Præſumeretur autèm conſecrata, ſi id conſtaret ex Inſtrumento dotationis illius; vel ex tabula aliqua marmorea, ſcriptura in columna, aùt Crucibus in parietibus Eccleſiæ depictis, imò etiamſi adeſſet unus teſtis aſſerens ſe vidiſſe, vel etiam audiviſſe dictam Eccleſiam eſſe conſecratam *Can. ſolemnitas ibique Gloſ. verbo Nec certi teſtes*, *& Can. Eccleſiæ de conſecratione diſtinct.* 1. *Maſcard. de probat. concluſ.* 415. *num.* 4. *Ugolin. de poteſt. Epiſc. cap.* 28. *num.* 3.

13 Dico ſecundò: Si parietes interiores Eccleſiæ combuſti fuerint itaùt in totum, vel in parte majore fuerint abraſi, Eccleſia erit denuò conſecranda *Can. Eccleſ. ibiq.*
14 *Gloſ. verbo Altari dicta diſt.* Vel ſi totum Templum, aùt major Templi pars quomodocumque ruerit itaùt de-

nuò

nuò reparari debeat *Can. de Fabrica ibique Gloſ. verbo inſtauranda, & verbo innovata dicta diſtinct. Abb. loco citato num.* 8. *Sylv. loco citato* §. *Tertius*. Ratio eſt, quià conſecratio ſtat in exteriore parte, ſeù ſuperficie parietum, qui chriſmate liniuntur, & in quibus Crucis ſignum apponitur *Abb. in dicto cap. propoſuiſti num.* 2. *& Sylv. in ſum. verbo conſecratio quæſt.* 4. *Mirand. in manual. Prælat. quæſt.* 39. *art.* 4. *concl.* 2.

15 Quæres ſecundò, quibus modis Eccleſia polluatur, itaùt in ea non liceat divina officia celebrare, nec Fideles ſepelire ante reconciliationem.

16 Dico primò. Polluitur per humani ſanguinis effuſionem *dicto Canone Eccleſiis cap. fin. hoc tit. & cap. unico eodem tit. in ſexto*. Id tamèn de injurioſa, & voluntaria effuſione accipiunt DD. ùt videre eſt apud *Murgam tom.* 1. *diſquiſit. tract.* 2. *diſquiſit.* 2. *per tot. Del Bene de Immunit. Eccleſ. to.* 1. *cap.* 2. *dub.* 2. *ſect* 2. *num.* 1.

17 Hinc non violatur Eccleſia ex homicidio caſuali, quià non eſt voluntarium, puta ſi ædificium caſu corruat, & inibi congregatorum cædes ſequatur *cap.*
18 *qualis, & cap. fin. de homicid. &c.* vel ex homicidio juſto perpetrato ad neceſſariam ſui defenſionem, quià
19 illud non eſt injurioſum; vel ſi vulnus inferatur extrà Eccleſiam, & eo percuſſus intrà Eccleſiam moriatur,
20 juxtà *Paſſerin. de pollut. Eccleſ. part.* 5. *quæſt.* 5. *& Del Bene de Immunit. Eccleſ. cap.* 2. *dub.* 2. *ſect.* 3. *num.* 3. *&* 4. Imò etiamſi homicidium injurioſum, & voluntarium committatur in locis ſubterraneis Eccleſiæ, vel in cubiculis ſupra ejuſdem tectum conſtructis, Eccleſia non polluitur; hæc enìm ejus nomine non veniunt preſertìm in pœnalibus *Gloſ. in cap. unic. verbo ſanguinis hoc tit. in ſexto*; *Navarr. in man. cap.* 16. *num.* 32.

Digitized by Google

num. 32. *& cap.* 27. *à num.* 256. *Sayr. lib.* 5. *de cenſur.*
*cap.*6. *num.*10. *Alter. de cenſur. tom.* 2. *diſp.*3.*de. interd.*
cap. 1. *Sanchez lib.* 9. *de matrimon. diſputatione* 15. *à*
num. 26. *Barb. de poteſtat. Epiſc. allegat.* 28. *num.* 45.
Fagund. de præcept. Eccleſ. præc. 1. *lib.* 13. *cap.* 14. *à*
*num.*37. *& præc.*2. *lib.* 4. *num.* 33. *& in decalog. lib.* 6.
cap. 3: *numer.* 16.

21 Violatur tamen, ſi vulnus inferatur intrà Eccleſiam,
quamvìs effuſio ſanguinis extrà illam ſequatur, quià
adhuc injuria illata fuit Eccleſiæ ex vulnere inflicto,
ex quo immediatè fuit ſanguis effuſus *cap. propoſuiſti*
hoc tit. Suarez in 3. *part. tomo* 3. *diſp.* 81. *ſect.* 4. *caſ.* 2.
Card. de Lugo de Sacram. *Euchariſt. diſput.* 20. *ſect.* 2.
Azor. part. 1. *tit.* 10. *cap.* 29. *quæſt.* 13. §. *Quæres, &*
22 *part.* 2. *lib.* 9. *cap.* 5. *quæſt.* 1. *caſ.* 2. Imò etiamſi juſta
hominis occiſio in Eccleſia ſequatur, puta hominis per
juſtam ſententiam Judicis ad mortem damnati, adhuc
Eccleſia polluitur, quià licèt juſta ſit ſententia quoad
pœnam, eſt injurioſa ejus executio ob loci ſacri re-
23 verentiam. Idemque dicas, ſi aliquis ſanæ mentis in
Eccleſia ſe ipſum occiderit, quià homicidium ſui ab
homine ſanæ mentis factum, eſt injurioſum; ſecus au-
tèm ab ebrio, vel furioſo *cap. contingit de ſent. ex-*
com. Palud. in 4. *diſtinct.* 18. *quæſt.* 8. *art.* 1. *& alii,*
quos refert del Bene loco citato num. 5. *&* 6.

24 Polluitur ſecundò Eccleſia per quamcumque hu-
mani ſeminis effuſionem in ea factam *Can. Eccleſiis,*
& Can. ſi motum de conſecr. diſtinct. 1. *cap. fin hoc tit.*
cap. unico tit. eodem in ſexto, & cap. ſignificaſti de
25 *adult. & latè Paſſerin. loco citato part.* 7. dummodò ta-
mèn ſit effuſio voluntaria, etiam licita, & conjugalis,
26 ùt diximus agentes de matrimonio; adeòque facta in
ſomnis, cùm involuntaria ſit, nec Eccleſiæ injurioſa,

eam non polluit, licèt àliquando à peccato non ſit immunis. Conſule *Suarez de Sacram. diſp.* 81 *qu.* 83. *ſect.* 4. §. 3. *Sylv. verbo Conſecratio* 2. *quæſt.* 5. *caſ.* 3. *Covarr. in* 4. *decretal. part.* 2. *cap.* 71. §. 2. *numer.* 3. *Azor.* 1. *part. lib.* 10. *cap.* 26. *quæſt.* 15. *Coninch. de Sacram. quæſt.* 83. *artic.* 3. *dub.* 1. *num.* 229.

27 Non tenemur tamèn abſtinere à celebratione divinorum officiorum, quàmdiu ejus violatio facta per humani ſanguinis, vel ſeminis effuſionem occulta eſt; *juxta DD. relatos*.

28 Tertiò polluitur Eccleſia, ſi in ea ſepeliatur infidelis, aùt non Baptizatus *Can. Eccleſiam*, *& ſeq. de conſecr. diſt.* 1. quorum corpora inibi reperta foris proiiciẽ-
29 da ſunt; poteſt tamen infans non Baptizatus, ſi mortuus ſit in utero matris mortuæ, ſepeliri in Eccleſia, quià eſt pars ventris, & mater cùm fætu unum corpus conſtituit. Ità *Azor. part.* 2. *inſtitut. moral. lib.* 9. *cap.* 6. *quæſt.* 1. §. *Quid dicendum*, *Paludan. in* 4. *diſtinct.* 18. *quæſt.* 8. *art.* 4. *Sylv. verbo conſecratio* 2. *num.* 5. *caſ.* 4. *&* *Layman. lib.* 5. *Theol: moral. tract.* 5. *cap.* 5. *num.* 8. *in fine*.

30 Quartò polluitur, ſi in ea ſepeliatur fidelis excommunicatus *cap. in conſilium hoc tit. & latè Paſſerin.*
31 *loco citato part.* 8. *per tot.* dummodò tamen, ùt notavit, *Suarez loco citato* §. 4. ſit excommunicatus vitandus, ideſt vel publicè denunciatus, vel notorius Clerici percuſſor, *Navar. in libr.* 5. *conſil.* 10. *de hæret. & alii*, *quos refert*, *& ſequitur del Bene loco ſupra citato ſect.* 5. *numer.* 1. huic enìm unicè poſt *Extrav. Martini V. Ad evitanda* intelligitur prohibita communio cùm reliquis fidelibus, ratione cujus interdicitur etiam ipſi communis cùm illis ſepultura Eccleſiaſtica; decet enìm ùt, quibus non communica-

municamus vivis, neque mortuis communicamus.

32 Ut in Eccleſia igitur ita polluta divina officia celebrari queant, ea reconcilianda eſt, ideſt ſi tantùm erat benedicta, poteſt reconciliari aqua luſtrali per ſimplicem Sacerdotem *cap. aquam hoc tit. Pax Jordan. de Eccleſ. & Cæmeter. reconcil. lib. 5. tit. 12. num. 160. Tambur. de Jur. Abbat. tom. 2. diſtinct. 23. quæſt. 10. num. 11. Dian. moral. reſ. part. 4. tract. 4. reſolut. 91.* ſin autem erat conſecrata, reconcilianda eſt per Epiſcopum *cap. aquam hoc tit.* & reconciliatio fieri debet aqua cùm vino, & cinere admixta, & certis prolatis precibus, quæ in Cæremoniali Romano referuntur *Henriquez in ſumm. lib. 9. cap. 27. num. 6. Sayr. de cenſur. lib. 5. cap. 16. num. 31. Barboſ. de offic. & poteſt. Epiſc. part. 2. allegat. 28. num. 55.* Reconci-
33 lianda autèm eſt expenſis violatoris; ſique hic non ſit ſolvendo, expenſis Rectoris, & ſi hic pauper ſit, ad Parochianos eſt recurrendum, ac poſtremò loco ad Epiſcopum *Abb. in dicto cap. propoſuiſti numer. fin. & Barb. in cap. penult. num. 2. hoc tit.* Cœterùm in hac materia ſervanda ſunt ſtatuta, vel ſpeciales locorum conſuetudine, ùt obſervat *Paſſerin. de Eccleſ. reconciliat. diſput. 4. cap. 2. num. 3. & 4.*

34 Deveniendo jàm ad ſecundam tituli noſtri partem, ad conſecrationem ſcilicèt, vel execrationem Altaris. Suppono primò *Altare* ità dici ab altitudine, veluti *Alta Ara*; *Turecr. in Can. de fabrica num. 1. & 2. de conſecr. diſtinct. 1. Bellarm. tom. 3. controv. lib. 1. de Miſſ. cap. 14. Tholoſ. Syntagm. Jur. lib. 2. cap. 2.* Aram autèm vocari à rogationibus, quæ inibi Altiſſimo porriguntur; licèt apud Gentiles id diſcriminis interceſſerit intèr Aram, & Altare, quod Ara erigebatur

Diis

Diis Superis, & Inferis; Altare autem Superis tantùm, juxtà *Macrob lib.* 3. *Saturn. cap.* 2. *& Beyerlink latè in Theatro vitæ humanæ verbo Altare* .

35 Suppono ſecundò, aliud eſſe Altare ſtabile, ſeù fixum, quod inhæret certo loco, ſeù baſi, cujus ſaltem tabula, ſeù Ara ſuperior debet eſſe lapidea *Can. Altaria de conſecrat. diſtinct.* 1. *& Abb. in cap.* 1. *num.* 3. *hoc tit.* ac ab Epiſcopo debet eſſe conſecratum *Can. nul-*
36 *lus eadem diſtinct.* Aliud eſſe mobile, portatile, ſeù viaticum, quod conſtare debet ex unico lapide integro tantæ magnitudinis, ùt pedem Calicis cùm Patena, ſaltèm quoad majorem partem capere poſſit; Conſule *Layman. Theol. moral. lib.* 5. *cap.* 6. *tract.* 5. *num.* 3. *Henat. de Sacrific. Miſſæ tom.* 2. *diſputatione* 24. *ſect.* 1. *num.* 3. *Magiſtris in Sylva Eccleſiaſtic. cap.* 3. *num.* 2. *Tambur. de Jur. Abbat. tomo primo diſput.* 23 *quæſt.* 4. *à num.* 1. *Barb. lib.* 2. *Jur. Eccleſ. cap.* 7. *num.* 2. *Suarez tomo* 3. *diſputatione* 81. *ſect.* 5. *diſtinctione* 2. *Coninch. de Sacram. quæſt.* 83. *art.* 3. *dub.* 2. *num.* 139. *Caſtropal. tomo* 4. *oper. moral. tract.* 22. *diſput.* 5. *punct.* 9. *num.* 2. *& Paſqualigus de Sacrific. Miſſ. quæſt.* 688. *à num.* 4.

37 Intèr quæ Altaria hæc differentia intermediat, quod Altare mobile per ſe conſecretur; immobile autem non, ſed quatenùs affixum eſt baſi, juxtà *Abb. loco citato Sylv. in ſumm. verbo Altare in princ. & Layman. lib.* 5. *Theol. moral. tract.* 5. *cap.* 6. *num.* 3.

38 Suppono tertiò, quod licèt conſecratio legitimè facta in rebus animatis, ſcilicèt homine, numquàm amittatur, adeòque remaneat etiam poſt mortem baptizati, vel ordinati, tamen ſi fiat in rebus inanimatis, puta Eccleſiis, Altaribus &c. poſſit aliquandò ità ab illis amitti, ùt iterùm conſecrari debeant: juxtà *Abb. loco citato num.* 1. *notab.* 3. Et ratio diſparitatis eſt,

quià

quià conſecratio in homine operatur ſuum effectum interiùs, & inviſibilitèr in anima *cap. unico de Sacra unct.* In rebus autèm inanimatis fit conſecratio per ſigna quidem viſibilia, & exteriora, ùt Crucibus in parietibus Eccleſiæ affixis &c. adeòque per violationem talis conſecrationis poſſunt hujuſmodi res ita execrari, ùt nova indigeant conſecratione.

39 Quæres igitur primò quomodo Altare execretur, itaùt nova conſecratione indigeat.

40 Dico primò. Altare, tùm mobilem, tùm fixum execreatur, ſi menſa ſuperior, ſive Lapis ſuperpoſitus, qui ſigillum continet, aùt lapis ipſe portatilis enormitèr, ſeù notabilitèr frangatur, vel minuatur, itaùt in nulla Altaris parte integrè Calix cùm Patena ſecundùm majorem ſui partem conſiſtere poſſit: Ratio eſt, quià ſi fractura ſit notabilis, Altare, quoad formam mutatum eſt, eamque amiſiſſe cenſetur, adeòque etiàm conſecrationem, cùm forma det eſſe rei, qua amiſſa, etiam ipſa res pereat neceſſarium eſt *cap. ad hæc, cap. quod in dubiis, & cap. ligneis ibiquè Abb. num. 1. notab. 2. hoc tit. Pax Jordan. de conſecrat. Altar. lib. 5. tit. 10. num. 53. Murga diſquiſit. moral. tomo 1. tract. 2. diſp. 6. per tot. Vigelius in method. Jur. Canon. lib. 4. tit. 14. Paſqualig. loco citato quæſt. 692. per tot.*

41 Dico ſecundò. Altare fixum in alio caſu conſecrationem amittit, ſi ſcilicèt menſa ſuperior conſecrata, à baſi, ſeù inferiore ſtructura, cui eſt affixa, vel columnis, quibus innititur amoveatur *cap. quod in dubiis, & cap. ligneis cit. & Can. ſi motum de conſecr. diſt. 1. Abb. in dicto cap. 1. Lotter. de re benefic. lib. 1. quæſt. 30. num 28. De Lugo de Sacram. Euchariſt. diſp. 20. ſect. 7. num. 70. Caſtropal. loco citato numer. 2. Leander. de Sacram. tract. 8. diſp. 7. quæſt. 3. & Barb. dicto cap. 7.*

cap. 7. *num.* 23. Quod ſi lapides inferiores tollantur, & alii immittantur, dummodò lapides ſuperiorem menſam attingentes remaneant immoti in altitudine, & quantitate ſufficiente ad retinendam formam Altaris, Altare non execratur *Gloſ. marginalis in dicto Canon. ſi motum litt. C. Sylv. in ſumm. verbo Altare quæſt.* 8. & optimè *Paſqualig. loco citato quæſtion.* 686. *num.* 3.

42 Quæres ſecundò: An Altare polluatur, polluta Eccleſia, & è converſò.

43 Reſpondeo. Polluta Eccleſia, polluitur Altare, & è contra; quià pollutio in quocumque Eccleſiæ loco contingat totam Eccleſiam afficit, cùm ſit unum totum, ſeù corpus indiviſibile *Abb. & Sylv. locis cit. Decian. tract. crim. lib.6. cap.24. à num.36. Paſqualig. loco citato tract. 1. de pollut. Eccleſ. à quæſt. 539. del Bene de Immunit. cap.2. dub.2. ſect. 18. num.1. Azor.1. part. inſtit. moral. lib. 10. cap. 20. quæſt.7. & cap. 26. quæſt. 13. Pax Jordan. lib.5. tit. 10. num.55. & Barb. de Jur. Eccleſ. lib.2. cap.7. num.23.* adeoque iiſdem modis Altare polluitur, quibus Eccleſiam pollui dixi.

44 Eodem igitùr modo, quo benedicitur, & conſecratur, polluitur, & reconciliatur Eccleſia, ac Altare,

45 benedicitur, conſecratur, & polluitur, & reconciliatur *Cæmeterium*; nomen à græco verbo derivatum, quod *dormire* ſignificat, eo quià fidelium defunctorum corpora ibi exiſtentia dormiant veluti in ſpem reſurrectionis, ùt ait Lazaro quatriduano Chriſtus *cap. conſuluiſti hoc tit. & cap. unico in princip. eodem tit. in ſexto, & Theatrum Vitæ humanæ in verbo Cæmeterium.*

46 Advertè tamèn juxtà *d. cap. unicum*, quòd polluta Eccleſia, intelligatur pollutum etiàm Cœmeterium

T ipſi

ipſi contiguum, quià tùnc, ùt acceſſorium ad illam, ſequitur naturam ſuæ principalis; illa tamèn reconciliata, erit & reconciliatum Cæmeterium, ſi paritèr ſit illi contiguum, ſecus ſi per ſe ſtet, juxtà *Barboſ. lib.* 2. *Jur. Eccleſ. cap.* 9. *num.* 11. *Pirhing. Jur. Canon. tom.* 3. *tit.* 40. §. 5. *num.* 33. *&* *Paſſerin. de reconciliat. diſp.* 3.
47 *cap.* 5. *num.* 1. *circa finem*: Secùs autèm ſi ab ea ſi remotum, & in loco diſtante, quià tùnc non cenſetur acceſſorium ad eam. Contigua autèm dicuntur, quorum extrema ſe contingunt, vel juxtà *Phil.* 5. *Phyſicorum*, quorum terminus eſt unus *Gloſ. addit. in dicto cap. unico verbo contiguum*.

48 E' contra verò polluto Cæmeterio non intelligitur polluta Eccleſia, quià non debet minus dignum majus, vel acceſſorium trahere ad ſe principale *dicto cap. unic.* §. *Non ſic*, *ibique DD. del Bene de Immunit. Eccleſ. tom.* 1. *cap.* 2. *dub.* 2. *ſect.* 9. *num.* 4. *&* *Paſſerin. loco citato num.* 2. *in princip.*

TITULUS XVII.

De Immunitate Eccleſiaſtica.

1 MUNUS tria ſignificat, donum ſcilicet, officium cùm honore, & onus ſine honore, quod cum remittitur, immunitas conceditur, ùt dicitur *in l. munus ibique Gloſ. in verbo onus*, *&* *verbo officium ff. de verbor. & rer. ſignific.* Quarè Immunitas Eccleſiaſtica concinnè deſcribi potiùs poteſt quàm definiri, quod ſit = *Libertas*, *ſeù exemptio Eccleſiaſtica*

ſtica; *l.* 2. *C. de Epiſc. & Cleric. & l.* 1. *C. de indict. & ſuperindict. lib.* 10.

2 Triplex eſt autem. *Localis* prima, quæ locis ſacris debetur. *Realis* altera, quæ rebus, ſeù bonis Eccleſiaſticis eſt conceſſa, de quibus hic *Perſonalis* tertia, quæ perſonis Eccleſiaſticis competit, de qua ſub titulo *de foro competente* in materia *de Judiciis*. Sit igitur.

CAPITULUM I.

De Immunitate Locali.

3 GAUDENT hac Immunitate Eccleſiæ quælibet etiàm non conſecratæ, dummodò benedictæ ſint ab Epiſcopo, vel alia ratione Deo dicatæ *cap. Eccleſiæ hoc tit.* quià per ſimplicem benedictionem Eccleſia evadit locus ſacer, & religioſus *Can. præcepta ibique Gloſ. verbo devotus de conſecrat. diſtinct.* 1.

4 Amplia primò concluſionem procedere, itaùt etiàm Eccleſiæ interdictæ, pollutæ, & nondum reconciliatæ hac immunitate fruantur; Non enìm peccavit Eccleſia, quæ interdicto ligatur, vel pollutione violatur, & nullibi in Jure reperitur ſtatutum, quod interdictum, vel pollutio privet Eccleſiam ſua immunitate, adeòque in odioſis non eſt facienda extenſio ad caſus non expreſſos *Abb. in dicto cap. Eccleſiæ num.* 8. *Sylv. in ſumm. verbo Immunitas* 1. *num.* 1. *Azor. part.* 2. *inſtitut. moral. lib.* 9. *cap.* 8. *quæſt.* 4. *Suarez tomo primo de Relig. lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 6. *Layman. lib.* 4. *Theolog. moral. tract.* 9. *cap.* 3. *num.* 2. *quæſt.* 2.

5 Amplia ſecundò hanc Immunitatem extendi ad

omnia loca Eccleſiæ adhęrentia, ùt ſacriſtiam, tectum, porticum, atrium &c. *Canon. ſi quis* 17. *quæſt.* 4. *ibid. Gloſ. verbo adhærentibus*, qnià quę Religioſis adhęrent Religioſa ſunt *l.*43. *in princ. ff. de re.vindicat.* & cauſa Immunitatis eſt favorabilis, adeòque amplianda *Suar. loco citato num.* 7. *&* 8. *& Layman. loco citato num.* 3. *Conciol. verbo Immunitas reſolut.* 1. *num.* 8. *&* 9. *Pax Jordan. lucubrat. volum.* 2. *tit.*3. *nu.*188. *Dian. part.*3. *tract.*1. *reſolut.*73. *part.*4. *Sperell. dec.*62. *&* 63. *per tot.*

6 Amplia tertiò hanc Immunitatem extendi ad quæcumque loca ſita in circuitu, & intra quadraginta paſſus in majoribus Eccleſiis, intra 30. autem in Capellis, vel Eccleſiis minoribus *Canon. ſicut antiquitus*, *& Canon. diffinivit* 17. *quæſt.* 4. *ibique Gloſ. Hoſtienſ. in cap. inter alia hoc titulo numer.* 2. *ibique Joan. Andr. num.* 6. *Abb. in ult. notab. & Felin. numer.*2. *Turrecr. in Can. cùm devotiſſimam num.* 4. *ibique Præpoſit.* 2. *quæſt.* 2.

7 Quàm dictorum paſſuum Immunitatem licèt aliqui aſſerant uſu non obſervari, ùt videre eſt apud *Clar.*
8 §. *fin. quæſt.* 10. *verſ. hinc eſt*, teſtatur tamen *Fagnan. in cap. Eccleſiæ hoc tit. num.* 20. Sacram Congregationem Immunitatis indiſtinctè juſſiſſe dictorum paſſuum obſervantiam, maximè in Eccleſiis Cathedralibus, & Collegiatis. Ultrà quod poſt Bullam Urbani VIII. incipientem *Romanus Pontifex*, dubitari poſſet de valore hujus contrariæ conſuetudinis, cùm per dictam Bullam ſublata ſit quævis conſuetudo præjudicialis Immunitati Eccleſiaſticæ, eſtò ſit immemorabilis, & cùm ea concurrat fama privilegii.

9 Amplia quartò, ùt hoc privilegio gaudeant etiàm Cæmeteria *Canon. ſi quis cit. Abb. in cap. cùm Eccleſia num.* 2. *hoc tit. Azor. loco citato cap.* 9. *quæſt.*9. *Suarez*

loco

*loco citato num.*8. imò quælibet alia loca Religioſa, ùt Hoſpitalia authoritate Epiſcopi conſtituta *Abb. in cap. penult. num. 6. hoc tit. & DD. citat*. & Domus Religioſorum cùm toto ambitu *Canon. quiſquis in fine* 17. *quæſt.* 4. *Canon. ligna de conſecr. diſtinct.* 1. *& Layman. loco citato num.* 3. *Dian. part. 6. tract. 1. reſol. 6. del Bene de Immunit. part. 2. cap. 6. dubit. 9. ſect. 10. Pax Jordan. loco citato num.* 197. 212. *& ſeqq. Conciol. verbo Immunitas reſolut. 2. per tot. Guazin. defenſ. reor. defenſ.* 1. *cap.* 37. *num.* 28.

10 Amplia quintò ùt Palatium Epiſcopi hoc jure aſyli etiàm donetur *cap. id conſtituimus* 17. *quæſt.* 4. *ibique Gloſ. verbo vel domo* aſſerit hoc procedere quamvis Palatium ab Eccleſia ſit ſejunctum, & extrà quadraginta paſſus conſtitutum. Ità *Remig. de Immunit Eccleſia ampliat.* 15. *Pax Jordan. loco citato num.* 199. *& ſeqq. Dian. part.* 1. *tract.* 1. *reſolut.* 27. *& part.* 4. *tract.* 1. *reſolut.* 40. *Sperell. deciſ.* 49. *num.* 9. *& Chriſtin. vol.* 5. *deciſ.* 101. *num.* 7.

11 Amplia ſextò, ùt Domus etiam S. R. E. Cardinalium hoc privilegio fruantur, & hoc ex recepta conſuetudine, teſte *Claro loco cit. num* 26. quàm tamèn conſuetudinem procedere teſtatur *Fagnan. loco citato num.* 23. extrà Urbem tantum, non autèm in illa. Ità *Diana d. reſol.* 40. *in fine, Pax Jordan. loco cit. nu.* 506. *Peregrin. de Immunit. cap.* 4. *numer.* 75. *in fin. Guazin. def.* 1. *cap.* 37. *num.* 26. *del Bene de Immunit. d. part.* 2. *cap.* 16. *dubit.* 9. *ſect.* 15. *Sperell. deciſ.* 49. *num.* 8. *Addit. ad Sanfelic. deciſ.* 330.

12 Amplia ultimò, ùt confugiens ad Sacerdotem Euchariſtiam publicè per vias deferentem Immunitate gaudeat, quià Corpus Chriſti longè digniùs eſt Eccleſia materiali, cùm ſit fundamentum, & ratio talis Immuni-

Immunitis *Abb. in cap. ſanè num.* 1. *de celebr. Miſſar. Clar. loc. cit. num.* 24.

13 Stat igitur hæc localis Immunitas primò in hoc,
quod ab Eccleſiis arceantur actus ſæculares, & pro-
phani, ùt cauſas agere criminales *cap. cùm Eccleſia*
hoc tit.& etiàm civiles pertinentes ad forum ſęculare,
quæ ſi in illis tractentur irritæ ſunt, & invalidæ
14 *cap. decet hoc tit. in ſexto*, & quamvis de Jure poſſint
in illis expediri cauſæ Eccleſiaſticæ, ut docet *Gloſ. in*
dict. cap. decet, verbo *ſæcularium*, quià hoc in Jure
Canonico non reperitur prohibitum juxtà *Azor. dict.*
15 *part.* 2. *lib.* 9. *cap.* 9. *quæſt.* 1. tamèn magis decens,&
conveniens eſt extrà Eccleſiam etiàm has agere, cùm
Eccleſia Domus orationis ſit, non jurgiorum, ùt notat
Alex. de Nævo in cap. qua fronte de appell. numer. 3.
16 idque etiàm uſus confirmat. Actus verò extrajudicia-
les,& pertinentes ad juriſdictionem voluntariam, non
contentioſam in Eccleſia exerceri poſſunt,ùt dare tu-
tores, vel curatores pupillo,aut minori,præterquàm-
quod hoc eſt etiàm cauſa pia, juxtà *Azor. loco citato*
quæſt. 3. Conferre gradus Doctoratus, vel Magiſterii
17 *Abb. in cap. cùm Eccleſia citato num.*9. *Azor. loco citat.*
18 *quæſt.* 4. *Suar. loco cit. cap.*4. *num.* 14. & diſputationes,
ſeù prælectiones publicas in illa habere,quià ſcientia
res ſancta dicitur in *l.* 1. §. *Proinde ff. de variis & ex-*
*traordin.cogn.*Conſule *Azor.loc.cit.& Barb.tom.*2.*Jur.*
Eccleſ. cap. 3. *num.*11. *&* 12.

19 Prohibentur paritèr in Eccleſiis negociationes,
& contractus,qui tamèn in illis celebrati validi erunt,
cùm non irritentur à Jure, ſicut Judicia, & in hac
materia pœnali ſit facienda ſtricta interpretatio *c.* 2.
20 *hoc tit. in ſexto*, licèt in illis permiſſum ſit vendere
candelas ſi id fiat ad fidelium pietatem excitandam,

ùt in

ùt in annua fidelium omnium commemoratione quo-
tidiano experimento fieri docemur , juxtà *Azor. loco*
21 *cit. quæſt.* 5. Itèm ludi theatrales cùm larvarum mon-
ſtris ab Eccleſiis arceantur *cap. ad decorem de vit. &*
22 *honeſt. Cleric.* quamvis pia , & honeſta ſpectacula in
iis exhiberi poſſint *Sylv. verbo Immunitas* 1. *quæſtion.*2.
23 *num.* 7. *Azor. loco citato quæſt.* 8. §. *Item ludi*, & etiàm
convivia vetantur *Can. oportet diſt.*42. Et ratio horum
omnium affertur *à Text. cit. cap.* 2. *in princ.* = *quià*
decet Domum Domini ſanctitudo , decet , ùt cujus in pace
factus eſt locus , ejus cultus ſit cùm debita veneratione
pacificus .

24 Secundò autèm Immunitas hæc localis ſtat in pri-
vilegio Aſyli , ùt ſcilicèt delinquentes ad Eccleſiam
confugientes ab ea extrahi nequeant *toto tit. C. de his*
qui ad Eccleſiam confugiunt ; *Can. eos qui diſt.* 87. *Can.*
id conſtituimus ; *Canon. ſicut antiquitus* ; *Canon. Reum* ;
Can. ſi quis ; *& Can. definiunt.* 27. *quæſt.* 4. *& cap. in-*
25 *ter aliam hoc tit.* idque etiàm ſi clauſam Eccleſiam
invenientes manu apprehenderint anſam , vel vectes
januæ , teſtibus *Covar. lib.* 2. *reſol. cap.* 20. *numer.* 18.
Suar. d. cap. 9. *num.*8. *Layman. d. cap.* 3. *num.*3.

26 Excipe primò, & dicas hoc aſyli jure deſtitui latro-
nem publicum , qui publicas vias obſidens , inſidias
tendit , vel vitæ , vel bonis viatorum *dicto cap. inter*
*alia ibique Abb. num.*5. *Can. ſicut* 17. *quæſt.*4. *& Clar.*
loco cit. num. 19. *Decian. tract. crimin. lib.* 6. *cap.* 28.
Pax Jordan. loco cit. numer. 398. *& ſeqq. Conciol. ver.*
Furtum reſol. 14. *per tot. Sperell. deciſ.* 102. *num.* 41.
& ſeqq.

27 Excipe Secundò , nocturnos depopulatores agro-
rum, qui ſcilicet alienos agros latentèr accedunt, ibi-
que ſegetes depopulantur , vel comburunt *dict. cap.*

intèr ,

intèr, ibique Innoc. verbo nocturnos, & Hoſtienſ. verbo populator Giurb. conſ. 48. num. 14. Romaguer. in addit. ad Conciol. Stat. Eugub. lib. 6. rubr. 31. numer. 3. & 4. Marth. de juriſd. part. 2. cap. 25. nu. 25. Queſad. contr. forenſ. cap. 39. numer. 17. & ſeqq. Grammat. vot. 14. num. 8. Cortiad. deciſ. 109.

28 Excipe tertiò homicidas proditores *cap. 1. de homicid.* etiamſi veneno clam propinato hominem occiderint, quià ùt dicitur in *l. 1. C. de malefic. plus eſt hominem extinguere veneno, quàm ferro. Farinacc. de carcerat. quæſt. 28. numer. 24. & Tuſch. lit. E concl. 11. & litt. P concl. 869. Pax Jordan. loco cit. à numer. 341. ad numer. 349. del Bene loco cit. cap. 16. dub. 20. per tot. Barboſ. in collect. Bullar. verb. homicidium, Zach. quæſt. medicolegal. lib. 2. tit. 2. quæſt. 1. numer. 6. Decian. tract. crimin. lib. 9. cap. 22. Sperell. deciſ. 22. & deciſ. 23. num. 35.*

29 Excipe quartò, aſſaſſinii reos; homicidii ſcilicet commiſſi per Sicarios pecunia conductos ad occidendum, ratione cujus tàm mandans quàm mandatarius Jure Immunitatis privantur *Covar. loco citato numer. 10. & Layman. loco cit. num. 9. Bonac. de legib. diſp. 7. quæſt. 3. §. 4. Menoch. de arbitr. caſ. 360. del Bene loco citato num. 349. & ſeqq.*

30 Excipe quintò hæreticos, qui, cùm contra Eccleſiam delinquant fruſtrà apud eam ſperant incolumitatem *Farinacc. loco citato num. 68. & ſeqq. Gambacurt. de immunit. lib. 5. cap. 35. & ſeq. Decian. Crim. tract. lib. 5. cap. 40. del Bene loco citato dubit. 22. per tot. qui ibid. num. 3. & ſeqq. cùm Dian. part. 1. tract. 1. reſol. 29. & part. 6. tract. 1. reſol. 24.* id teſtatur procedere in cauſa hæreſis tantùm, non verò in aliis delictis ab hæreſi diſtinctis.

Ex

31 Excipe ultimò illum, qui ſtans in Eccleſia occideret, vel mutilaret, aùt mandaret occidi, vel mutilari extrà illam manentem, vel ſtans extrà illam, in illa exiſtentem, eſtò læthalitèr in Eccleſia vulneratus, extrà illam obiiſſet; ùt enìm ait *Text. in cap. ultimo hoc tit. = in eo, in quo delinquit puniri quis debet, & fruſtra legis auxilium invocat, qui committit in legem. Gratian. diſcept.* 598. *num.* 17. *Guazin. deſ.* 1. *cap.* 38. *num.* 20. *Pax Jordan. loco citato à numer.* 325. *uſque ad numer.* 341. *Farinac. loco citato num.* 61. *Dian. part.* 1. *tract.* 1. *reſol.* 2. Ità *Gregorius XIV. Summus. Pontifex in Bulla incipien. Cùm aliàs, inter ſuas* 7. in qua extant omnes caſus excepti hucuſque recenſiti, & quæ hodie unicè in hac materia ſervatur.

32 Limitatur autem hæc aſſertio, ſi quis delinqueret in porticu, vel porta Eccleſiæ, quià illæ, in materia pœnali, & reſtringenda, non veniunt nomine Eccleſiæ, & locus ſacer ad effectum committendi ſacrilegium, non ità late accipitur, ſicuti ad effectum gaudendi immunitate Eccleſiaſtica, juxtà *Barboſ. loco cit. num.* 117. *& ſeqq. Dian. part.* 3. *tract.* 1. *reſol.* 39. *del Bene loco citato cap.* 16. *dubit.* 19. *ſect.* 6. *per tot. Sperell. deciſ.*
33 61. *per tot. & Sanfelic. deciſ.* 19. *per tot.* Imò DD. aſſerunt apud *Clar. loco citato verſ. ſed ſi aliquis*, quod ità delinquens in una Eccleſia non gaudeat immunitate, etiamſi ad aliam Eccleſiam confugiat, quià qui facit injuriam uni Eccleſiæ particulari omnes offendiſſe videtur, cùm una ſit per totum Orbem univerſalis Eccleſia, juxtà *Can. loquitur Dominus* 23. *quæſt.* 1. *Sanch. tom.* 2. *conſ. moral. lib.*6. *cap.*1. *dubit.*7. *num.*16. *Covar. lib.* 2. *var. cap.* 20. *num.* 15. *Azor. part.* 2. *Inſtit. moral. lib.* 9. *cap.* 9. *quæſt.* 9. *Farinacc. loco citato num.* 59. *& in appendic. de Immunit. cap.* 16. *num.* 219.

Cutell. de Immunit. Eccleſ. lib. 1. *quæſt.* 3. *numer. fin. Peregr. eod. tract. cap.* 6. *num.* 19. quamvis *Sylv.verb. Immunitas* 3. *quæſt.* 2. dicat de conſuetudine apud aliquos ſervari oppoſitum. Videatur *Barb. in cap. ult. de Immun.Eccleſ. num.* 7. *ibique Fagnan. num.* 15. *&* 16.

34 Hac autem locali immunitate gaudere etiam debitores pro debito civili ad eam confugientes,in confeſſo eſt apud DD. cùm etiam iſti veniant nomine reorum in cauſis civilibus, & reis omnibus indiſtinctè immunitas hæc ſit à Jure conceſſa *l.* 1. *& l. præſent* §. *cùm autèm C. de his qui ad Eccleſ. confug. Abb. in cap. inter alia tit. cit. numer.* 22. *Sylv. in ſumm. verbo immunitas quæſt.* 3. *Covar. lib.* 2. *var. reſol. cap.* 20. *num.* 14. §. *Sed profectò*.

35 Non gaudent tamen hac immunitate Judæi, Pagani, cæterique Infideles ad Templa confugientes, quià non debet Eccleſia iis tutamen præſtare, qui extrà ejus gremium ſunt, de his enìm, qui foris ſunt nihil ad nos ſpectare monuit Apoſtolus; & quamvis Canones, ac LL. indiſtinctè de reis ad Eccleſias confugientibus loquantur,iſta tamen generalitas verborum,juxtà ſubjectam materiam limitanda eſt ad ſolos fideles, juxtà *Covar. loco citato num.* 11. *coroll.* 13. *Clar. in prax.* §. *Fin. quæſt.* 30. *numero* 17. *Guaz. loco citato numero* 1. *Pax Jordan. loco citato num.* 390. *&*
36 *ſeqq.* Niſi tamen Infidelis peteret Baptiſmum; tunc enìm ſi conſtaret Judici illum petere verè, & non ſimulate, ei concedendus eſſet, & Eccleſiaſtica Immunitas largienda, juxtà *Layman. lib.* 4. *tract.* 9. *cap.* 3. *num.* 12. *Suar. tom.* 1. *de Relig. lib.* 3. *de locis ſacris, cap.* 10. *num.* 11. *&* 12.

37 Quamvìs tamèn hæc opinio, inſpecto tantùm Jure commu-

communi, valdè probabilis videatur, tamèn Sac. Congregatio Immunitatis anno 1631. menſe Februarii oppoſitum declaravit, jubens Hebræos etiam Baptiſmum non petentes gaudere Immunitate Eccleſiaſtica, proùt referunt *Dian. part.* 1. *tract.* 1. *reſol.* 22. *&* 23. *part.* 4. *tract.* 1. *reſol.* 50. *part.* 5. *tract.* 1. *reſol.* 2. *& part.* 6. *tract.* 1. *reſol.* 23. *Barb. de Jur. Eccleſ. lib.* 2. *cap.* 3. *numer.* 44. *ac Sabell. in prax. crimin.* §. *Hebræi num.* 25. Et rationem reddunt, quià hoc privilegium competit ratione loci, non perſonarum.

38 Quod ſi Judex ſecularis per vim Reum ab Eccleſia extraxerit, primò ſacrilegium committit, utpotè violator Immunitatis Eccleſiaſticæ *Can. ſacrilegium* 17.
39 *quæſt.* 4. Secundò tenetur illum Eccleſiæ reſtituere *Can. minor. dd. cauſ. & quæſt.* & ſi non reſtituat juxtà famigeratam Bullam Greg. XIV. excommunicationem incurrit *Pax Jordan. loco cit. numer.* 284. *& ſeqq. del Bene loco cit. dubit.* 35. *per. tot. Sperell. deciſ.* 48. *per tot.*

CAPITULUM II.

De Immunitate Reali.

40 DEVENIENDO jàm ad Immunitatem realem competentem bonis, ſeù rebus ad Eccleſias, vel Eccleſiaſticas perſonas ſpectantibus adverto, munera, ſeù onera, quæ imponi poſſunt, juxtà *Text. in l. Munus ff. de verb. & rer. ſignif.* triplicis eſſe generis; vel merè
41 perſonalia, vel merè realia, vel mixta. Merè perſonalia ſunt, quæ imponuntur perſonis ſubditis ſine ullo reſpectu, & ordine ad bona patrimonialia earumdem, ùt eſt capitatio Civium, id eſt exactio certa quæ fit à

V 2 ſingu-

ſingulis Capitibus ſubdictorum; vide *Text. in l.* 1. §. *Aquæ,& l.*18.§.1.*& ſeqq.ff. de muner. & honor. Tholoſan. lib.* 4. *de repub. cap.* 50. Onera merè realia ſunt,
42 quæ imponuntur rebus ipſis ſeù bonis,& illa perpetuò comitantur, & tamdiù durant quamdiù res quibus
43 inhærent. Mixta verò ſunt, quæ imponuntur perſonis in ordine ad res quas poſſident, & ſic immediatè impoſita ſunt perſonis ſubditis,mediatè autèm ipſis rebus, ſeù perſonis propter res *Text. in dicta l.*18. §.*Mixta*, & egregiè ad rem *Cobell. in comment. ad Bull. Bon. regimin. cap.* 35. *num.* 15. *& ſeqq. Tambur. de Jur. Abbat. diſp.* 16. *quæſt.*21. *num.* 5. 12. *& ſeqq. Vulp. in prax. For. Eccleſ. cap.* 17. *num.* 13. *& Sperel. part.* 1. *deciſ.* 35. *&* 36.

44 Adverto ulteriùs me hic loqui de Immunitate, quàm habeant Eccleſiaſtici ab oneribus, ſeù tributis ſæcularibus impoſitis à Principibus laicis, non verò de impoſitis à Papa, vel alio Prælato Eccleſiaſtico ex conceſſione Juris, ab his enìm utiquè immunes non ſunt, ùt de oneribus cameralibus diſponit *S. Pius V. in ſuo diplomate relato à Cobell. in recollect. Bullar. concernen. intereſſe Communitat.* §. 1. *&* 8.

45 Adverto tertiò, ex tributis alia imponi rebus immobilibus, ſeù fructiferis, ùt fundis, prædiis &c. alia exigi à rebus mobilibus, quæ, quià per ſe non ſunt fructiferæ, non ſunt capaces oneris, niſi quatenùs exponuntur negociationi,vel tranſportantur de uno loco ad alium, quæ tributa propriè gabellæ, vel vectigalia, à vectando dicuntur.

46 Adverto quartò, alia eſſe tributa ordinaria perpetua, ſeù invariabilia, quæ certam, & determinatam præſtationem habent *l.*6.§. 4.*ff. de muner. &c. l.* 5. *C. de annon. & tribut. lib.* 10. *& l. fin. C. de omn. agr. deſer.*

deſcr. lib. 11. *Tholoſ. lib.* 3. *de Repub. cap.* 2. *& Cacheran. deciſ.* 95. *num.* 43. Alia eſſe extraordinaria, variabilia, ſeù temporalia, quæ aliàs collectæ, ſeù contributiones dicuntur, nec habent certam, ac determinatam præſtationem, ſed modo majores, modo minores exiguntur, juxtà majorem vel minorem neceſſitatem Reipublicæ *l. ſed, & ſi* §. *Si feriæ ff. ex quibus cauſ. major. &c. Card. Tuſch. litt. O concluſ.* 133. *num.* 3.

47

48 Adverto poſtremò, me hic non loqui de bonis illis, quæ Eccleſia poſſidet Jure ſpirituali, ùt decimis, oblationibus, Cæmeterio, Domibus, Hortis, vel Fundis juxtà Eccleſiam poſitis; hæc enim ſunt immunia proculdubio à quolibet onere etiam anteà ſuper dd. bonis impoſito, juxtà præceptum ipſius Dei *Num. cap.* 18. *Can. ſecundum* 23. *quæſt.* 8. *& Rotam apud Fagnan. in cap. non minùs cit. num.* 8. ſed tantùm differere de bonis poſſeſſis ab Eccleſia titulo temporali, & humano, ùt titulo venditionis, emphytheuſis &c. De his igitur loquendo.

49 Sit prima aſſertio. Bona tàm Eccleſiarum, quàm perſonarum Eccleſiaſticarum, etiam patrimonialia ſunt immunia ab oneribus ſæcularibus, tàm mixtis, quàm realibus de novo imponendis, tùm ordinariis, tùm extraordinariis, Textus ſunt concordantes de Jure Canonico *in cap. non minus, cap. adverſus, de Immun. Eccleſ. & cap. quià nonnulli eodem titulo in ſexto* & in Jure Civili adeſt *Text. in Auth. Item nulla C. de Epiſc. & Cleric.* qua Fridericus Imperator abrogavit reliquas omnes LL. Civiles contrarium diſponentes, quibus Conſtitutionibus adſtipulatus noviſſimè fuit Urbanus VIII. in quadam ſua Bulla incipien. *Romanus Pontifex*; & unanimi ore teſtantur *Abb. in cap. ult. de vit. & honeſt. Cleric. numer.* 12. *& in dicto cap. non minùs*

minùs num. 3. *ibique Barb. num.* 6. *Martha de Juriſd. part.* 4. *caſ.* 11. *num.* 28. *& ſequent. Guttier. lib.* 1. *pract. quæſt.* 3. *numer.* 16. *Layman. lib.* 4. *Theol. moral. tract.* 9. *cap.* 6. *numer.* 2. *& ſeqq. Cobell. in Bull. Bon. regim. cap.* 35. *numer.* 44. *Sperell. part.* 1. *deciſ.* 37. *num.* 76. *& ſeqq. Rot. coram Coccin. deciſ.* 159. *num.* 4. *&* 5. *coram Celſo deciſ.* 259. *numer.* 2. *coram Merlin. deciſ.* 902. *num.* 23. *&* 27. *coram Bich. deciſ.* 121. *n.* 6. *Annot. ad deciſ.* 412. *num.* 88. *& ſeqq. part.* 9. *rec.* Ratio eſt quià Gabellarum, & onerum impoſitio ſpectat ad exercitium juriſdictionis, & ad merum Imperium Principis, ideòque hujuſmodi impoſitio obligare nequit niſi ſubditos Principi, ſed Clerici ſunt exempti à Principis ſæcularis juriſdictione, ut videbis latè *in tertia parte ſub tit. de Foro competente* §. *De Foro Clericorum*; Ergò &c. Quare inquit *Apoſtolus ad Romanos* 13. = *Neceſſitate ſubditi eſtote, ideò enim, & tributa præſtatis*; ex quo patet requiri ſubjectionem perſonarum ad onerum impoſitionem. Da igitùr perſonas non ſubjectas jus dicenti, quales ſunt Eccleſiaſtici quoad Principis ſæcularis juriſdictionem, dabis quoque illorum bona ab eadem juriſdictione exempta, quæ utpotè acceſſoria ad perſonas principalium naturam ſequuntur, juxtà *reg. Jur.* 42. *in ſexto.*

50 Aſſertio ſecunda. Bona tàm Eccleſiarum, quàm Clericorum, etiàm patrimonialia, quæ, antequàm in eorum manus tranſirent vigore alicujus pacti, vel contractus, erant aliquo onere reali, & quidèm certo, ac invariabili gravata, tranſeunt ad Eccleſias, vel Clericos cùm onere ſuo. Ratio eſt, quià res tranſit cùm onere ſuo *cap. ex literis de pignor*; & ex alia parte favor Religionis, & cauſæ piæ non poteſt invertere ordinem Juſtitiæ, & privare alios jure, quod habent

priùs

Digitized by Google

priùs acquiſitum ſuper talibus bonis ex pacto, vel contractu præcedente, ità *Gloſ. communitèr recepta in Can. tributum verbo de exterioribus* 23. *quæſt.* 8. *Abbas loco citato num.*15. *in fine, Bellon. conſ.*40. *per tot. Zach. de Salar. quæſt.* 5. *per tot. Tuſch. lit. E. concluſ.* 12. & 13. *per tot.* & *lit.* 5. *concluſ.* 609. *Ricc. in prax. For. Eccleſ. tit. Prax. Collect.* & *Gabell. reſol.* 36. *numer.* 2. & *reſol.* 141. *num.* 3. *Vulp. loco cit. num.* 13. *Sperell. loco citato, Rota coram Penia deciſ.* 1079. *numer.* 33. *coram Celſ. deciſ.* 259. *num.* 8. & 19. *deciſ.* 339. *per tot. part.* 6. & *deciſ.* 473. *part.* 18. *recent.*

51 Et hac doctrina retenta facilè explicabis verba textum *in Can. ſi tributum* 11. *qu.* 1. ubi ità ait = *D. Ambroſ. Si tributum petat Imperator, non negamus; agri Eccleſiæ ſolvunt tributum* = & in citato *Can. Tributum* 23. *quæſt.* 8. ubi inquit Urbanus Papa = *De exterioribus Eccleſiæ, quod conſtitutum antiquitùs eſt pro pace, & quiete, qua nos tueri, & defenſare debent, Imperatoribus perſolvendum eſt.*

52 Inibi enim, ùt placet *Eminentiſſimo Turrecr. in dd. Canon.* ſermo habetur de agris, vel bonis Eccleſiæ, quæ in priori gravata forent aliquo hujuſmodi onere reali, à quo, ùt diximus, non eximuntur per hoc, quod

53 poſteà Eccleſiaſtica fiant; Quæ ſolutio paritèr danda eſt *Can. Sancitum* 23. *quæſt.* 8. & *cap.* 1. *de cenſ. in fine*

54 ſi forte objectentur, Vel potes etiam dicere Ambroſium, & Urbanum locutos potiùs fuiſſe de facto, quam de Jure, aptantes ſermonem uſui ſuorum temporum, quibus ad vitanda ſcandala, & majora pericula, quæ Eccleſiæ imminebant non utebatur Eccleſia tota hac Immunitate qua nùnc fruitur, & qua de Jure frui debet.

55 Ad dignoſcendum autèm quando onus impoſitum bonis

Digitized by Google

bonis Eccleſiaſticis ſit merè reale, & quando ſit mixtum, ac cùm reſpectu ad perſonas, hæc regula traditur *à Grananiet. in cap. pervenit hoc tit. num.* 3. §: *Cui dubio Azor.* 3. *part. inſtit. moral. lib.* 5. *cap.* 13. *verſ. eſt igitur adnotandum. Morla in Emporio Juris tit. de legibus quæſt.* 16. *num.* 23. *Leſſ. lib.* 2. *de Juſt. & Jur. cap.* 33. *dub.* 3. *num.* 19. quod quando onus adjectum eſt certum, & invariabile, cenſeatur reale, ſecùs autèm ſi variabile ſit, mixtum dici debeat.

56 His poſitis ſciendæ ſunt conditiones copulativè requiſitæ *à cap. non minùs, & cap. adverſus de Immunit. Eccleſ.* quibus nonniſi ſervatis Clerici Laicis contribuere licitè poſſunt.

57 Prima conditio eſt, quod Epiſcopus cùm Clero de-
58 liberet an, & quantum Laicis contribuendum ſit. Secunda, quod adſit valdè gravis neceſſitas, vel evidens utilitas *Cobell. loco citato cap.* 28. *numer.* 99. *& ſeqq. Leo in Theſaur. For. Eccleſ. cap.* 14. *numer.* 24. *&* 30. *Vulp. loco citato num.* 11. *&* 12. *Pignatell. tomo* 3.
59 *conſult. Canon. conſultat.* 26. *num.* 2. Tertia, quòd conſtet Laicorum facultates non eſſe ſufficientes ad ſu-
60 blevandas neceſſitate communes: Quod conſtare dicitur, ſi moralitèr conſtet bona communia Reipublicæ non ſufficere, & ſingulos Cives non poſſe ſine magno gravamine ſolis ſuis ſumptibus dictæ neceſſitati providere *Ric. in prax. loco cit. reſol.* 141. *num.* 2. *& ſeqq.*
61 Quarta, quod contributiones fiant à Clericis ſponte, & ſine ulla coactione Laicorum, quamvis ſi injuſtè contribuere renuant, ab Epiſcopo compelli poſſint ad
62 contribuendum. Ultima, quod priùs conſulatur Summus Pontifex *Barb. in cap. non minùs, & cap. adverſus utrobique num.* 2. *Zacch. de Salar. quæſt.* 5. *nu.* 22. *Pignatell. loco cit. à nu.* 4. *ad* 7. *Cobell. loco cit. nu.* 113. *& ſeqq.*

Digitized by Google

& ſeqq. Rot. deciſ. 363. *num.* 1. *& ſeqq. & deciſ.* 291.
63 *par.* 5. *rec.* Excipe caſum, quo urgeret adeò neceſſitas ùt periculum eſſet in mora; tùnc enìm deliberatio Epiſcopi, & majoris Cleri partis ſufficeret; puta ſi facienda eſſet contributio ob hoſtiles incurſus &c. quià neceſſitas non habet legem. Ità *Abb. in d. cap. non minùs num.* 19. *Gratian. diſcept.* 390. *num.* 17. *& ſeqq. Zach. loco citato, & Cobell. ubi ſuprà num.* 122.

64 His autèm conditionibus copulativè non ſervatis, nequeunt Clerici etiàm volentes licitè, & illæſa conſcientia Laicis contribuere; huic enìm privilegio, quod conceſſum eſt in favorem totiùs ordinis, & ſtatus Clericalis, nequeunt propria voluntate renunciare; *argumento Text. in cap. ſi diligenti de for. compet.*

65 Nec obſtant *Text. in l. ad inſtructiones & l. placet C. de Sacroſ. Eccleſ.* inſerta à Gratiano in ſuo decreto *in Can. generalitèr* §. *Placet* 16. *quæſt.* 1. in quibus habetur, ad communes neceſſitates ſublevandas contribuere debere Clericos etiàm, puta ad reficendos muros Civitatis, Pontes &c.

66 Nam dd. Leges Civiles, vel fuerunt correctæ *ab Auth. Itèm nulla C. de Epiſc. & Cleric.* in qua à qualibet collecta Clerici eximuntur indiſtinctè ob quamlibet cauſam, vel dicendum eſt dd. Conſtitutiones ſemper fuiſſe irritas ob defectum poteſtatis in condente, utpotè diſponente de bonis Eccleſiaſticis, & derogantes Eccleſiaſticæ Immunitati; Nec eo quià dicta Lex *Placet* inſerta ſit in Decreto Gratiani cenſenda eſt approbata à Jure Canonico, cùm ideò majorem habere nequeat authoritatem, quam priùs habebat; non enìm eo quià Gratianus illam ſuo operi inſervit, canonizata fuit ab ullo Pontificum, quod per neceſſe requiritur, ùt vim habeat Legis Pontificiæ, & Canonicæ.

67 Explicata hactenùs Immunitate fruuntur omnes Clerici etiam prima tonſura initiati, tàm Sæculares, quàm Regulares, etiàm Novitii *Ricc. in prax. tit.*
68 *prax. collect. & Gabel. reſol.* 135. *per tot.* etiamſi Clericus ſæcularis non ſervet conditiones requiſitas *à Trident. ſeſſ.* 23. *cap.* 6. *de reform.* ad fruendum privilegio fori, quià dicta Conſtitutio non eſt extendenda ad alia privilegia Clericalia, cùm ſit odioſum illis Clericos privari. Ità *Molin. tom.* 3. *de Juſt. & Jur. diſp.* 671. *num.* 5. *Barb. lib.* 3. *Jur. Eccleſ. cap.* 39. *num.* 15.
69 qui ibidem aſſerit Clericos etiam excommunicatos, ſuſpenſos, interdictos, vel irregulares hoc privilegio gaudere.

70 Excipe tantùm Clericos conjugatos, Latinos tamen non Græcos, ùt dixi in prima parte cùm de illis ſub ſpeciali titulo diſſervi, & unanimitèr aſſerunt *Gloſ. in cap. unico verbo cæteris, ibique Barb. de Cleric. conjug. in ſexto. Vulp. loco citato cap.* 50. *numer.* 147. *Sperell. part.* 1. *dicta deciſ.* 36. *num.* 18.

71 Dubium unicè reſtat an Laici Coloni Eccleſiæ, aùt Clericorum, explicata Immunitate fruantur.

72 Reſpondeo, quod ſi tales Coloni partiarii ſint, qui ſcilicèt colant agros pro certa fructuum parte, immunes ſint quoad illam partem fructuum, quæ ſpectat ad Eccleſiam, non verò quoad aliam ſpectantem ad ipſos. Ità *Gloſ. in Clement. præſenti verbo non negotiandi de cenſ. Decian. conſ.* 5. *num.* 4. *vol.* 3. *Barb. loco citato* §. 3. *nu.* 33. *Menoch. de arbitr. caſ.* 562. *nu.* 25. *& ſeqq. Fulgin. de Jur. emphit. tit. de meliorat. & expenſ. quæſt.* 10. *num.* 47. *Cacheran. deciſ.* 83. *per tot. Sperell. deciſ.* 41. *n.* 1. *& ſeqq. Fontanell. deciſ.* 307. *& ſeqq. & Rot. deciſ.* 145. *num.* 11. *par.* 11. *rec.* Ad effectum tamèn decidendi, & judicandi conſule *Gobb.*

con-

conſult. 2. *per tot.* qui cùm diſtinctione procedit, & in oppoſitam ſententiam inclinat, ad quem te remitto: quià pars fructuum ſpectans ad Eccleſiam non eſt Coloni, ſed Eccleſiæ, adeoque ùt res Eccleſiaſtica cenſenda eſt; pars autèm ſpectans ad Colonum eſt fructus rei competens Laico, atque ad ejus plenum dominium ſpectat, nullam igitùr reſpectu illius Laicus exemptionem meretur.

TITULUS XVIII.

De Sepulturis.

1 REvertatur *puluis in Terram ſuam undè erat, & ſpiritus redeat ad eum, qui dedit illum* dicitur *Eccleſiaſt.* 12. Hinc apud Chriſtianos uſus humandi Cadavera defunctorum, & deſignandi terreni hominis terram cuſtodem.

2 Circà quem laudabilem uſum ſuppono primò, Locum illum, in quo Cadaver aliquod reconditur diver-
3 ſis nominibus apud Veteres fuiſſe inſignitum. Modò
4 enim dicebatur *Cæmeterium*, de quo dixi alibi; Modò *Polyandrum*, quaſi *pollutum antrum* ob Cadavera ibi condita, juxtà *Lavor. de priſco funerandi more cap.* 6.
5 *num.* 4. Modò *Monumentum* eo quià moneat mentem, juxtà *Text. in l.* 2. §. *Monumentum ff. de Relig. & ſumpt. funer.* Monent enim defuncti vivos ne mortis obliti vitam deſidem, & inertem agant, nevè in eorum mentibus mortuorum memoria cùm funebri
6 Campanæ ſonitu pereat. Modò *Arca*; inibi enim

antiquitùs Chriſtianorum corpora ſepeliebantur, teſte
7 *Tertull. in lib. ad Scapulam cap.* 3. Modò *Tumulus*
quaſi tumens humus, quæ elevatur ſepulto homine.
8 Modò *Ergaſtulum* à verbo græco quod ſignificat quieſcere, quià ibi corpora recondita æternùm quieſcunt.
9 Modò *Cænotaphium*, loco ſcilicet vacuus honoris cauſa, ùt patet *ex l. vel quæ & l. monumentum ff. de Religioſ.*
10 Modò *Sedes* dicitur *in l. ſiquis ff. tit. d. & l. nec*
11 *dum C. eodem tit.* Modò *Sarcophagus*, verbum græcum derivatum à *carne edenda*, ſignificat enim genus quoddam lapidis, ſeù marmoris, in quo corpora defunctorum condita intrà quadrageſimum diem conſumebantur exceptibus dentibus, ùt tradit *Plin. lib.* 36.
12 *cap.* 17. Modò dicebatur *Domus æterna*, quià cada-
13 vera ibi in perpetuum conduntur. Et Modò *Mauſolæum* dictum à Mauſolo Rege Cariæ; adeoque hoc verbum propriè importat Sepulchrum Principis alicujus. De horum nominum ſignificatione agit *Gloſ. in l. quicumque §. idem ait ff. de inſtit. act. Gonzal. in cap.* 1. *de Sepult. num.* 3. *Lavor. lucubrat. tit.* 2. *cap.* 6. *per tot. Medic. de ſepult. quæſt.* 3.

14 Suppono ſecundò, ſub primis illis Eccleſiæ temporibus, quibus in cunis adhuc vagiens Eccleſia ob metum Gentilium, vel Judæorum, queis undique circumvallabatur, extrà Urbes defunctos humare moris fuiſſe apud Chriſtianos, donec pace Eccleſiæ conceſſa incæpit laudabilis uſus, in Eccleſiis, & locis ſacris Cadavera Chriſtianorum ſepeliendi, uti à temporibus Marcelli Papæ uſitatum fuiſſe colligitur ex *Anaſtaſio*
15 *Biblioth. in ejus vita*; idque ob triplicem rationem allatam *in Can. cùm gravia, & Can. non æximemus* 13. *quæſt.* 2. Primò, ùt patrocinio Sanctorum, quorum oſſa in Eccleſiis molliter cubant, ſpecialiùs defunctorum

rum

rum animæ commendentur. Secundò, ùt excitentur viventium affectus ad orandos dictos Sanctos pro defunctis. Tertiò, ùt devotione in Sanctos impulſi plures accedant ad orandum prò defunctis.

16 Suppono tertiò, Sepulchra alia eſſe communia plu-
17 ribus, alia privata, vel ſingulis propria. Communia aderant Romæ extrà Portam Exquilinam, teſte *Cœlio Rhodigin. lib.* 10. *lectionum cap.* 17. & apud Judæos fuiſſe ſepulchra communia plebi, ac peregrinis vulgò *polyandria* dicta, conſtat ex *Jerem. cap.* 2. *& lib.* 4. *Regum cap.* 23. *& apud D. Matth. cap.* 27. mentio habetur de agro ſiguli à Principibus Sacerdotum in ſepulturam Peregrinorum empto ex triginta argenteis Judæ proditoris.

18 Sepulchra autèm privata alia erant familiaria, alia hæreditaria. Familiaria dicebantur, quæ quis pro ſe, & familia ſua conſtituerat; Hereditaria verò erant
19 conſtituta pro ſe, & ſuis hæredibus. In familiari igitur ſepulchro ſolùm agnati, ſeù deſcendentes ex familia conſtituentis tumulari poterant *l. jus & l.* 13. *C. de Religioſ. &c.* In hæreditario autèm ſepeliendi erant liberi utriuſque ſexus, vel alii quicumque, qui fuerant hæredes conſtituenti, vel ex teſtamento, vel ab inteſtato etiam in minima hæreditatis parte *l. vel quod & l. ſi quis ſuis ff. de Religioſ. &c.*

20 Quæ ſepulturæ hæreditariæ deſignabantur antiquitùs harum literarum inſcriptione *H.M.H.S.* ideſt *Hoc Monumentum Hæredes Sequitur*, proùt explicarunt *Gonzal. loco cit. num.* 7. *Oſuald. ad Donell. lib.* 4. *comment. cap.* 1. *lit. X. Boſſius in Roma ſubterran. lib.* 2. *cap.* 26. *Lavor. loco cit. à num.* 31. *Molin. de primogen. lib.* 2. *cap.* 24. *num.* 4. *& Medic. de ſepult.* 1. *parte quæſt.* 4.

His

Digitized by Google

21 His præſuppoſitis aſſero primò. Si aliquis habeat Sepulchrum familiare, & à Majoribus conſtructum, in eo ſepeliri debet; *per text. in cap.* 1. *hoc tit. Valenzuel. conſ.* 18. *à num.* 108. *Covar. lib.* 2. *var. cap.* 1. *num.* 10. *Tuſch. lit. G. concluſ.* 194. *Spino de teſtam. Gloſ.* 2. *num.* 38. *Barboſ. lib.* 2. *Jur. Eccleſ. cap.* 10. *num.* 31. *Sperell. deciſ.* 88. *num.* 1. tùm ùt inhæreat exemplo veterum Patriarcharum Abraham, Iſaac, & Jacob, qui etiàm in remotis exiſtentes, volverunt condi in majorum ſepulchro, *ùt ex Geneſ. cap.* 23. *&* 49. *Exod. cap.* 4. *& Can.* 3. §. *Item Joſephi* 13. *quæſt.* 2. quorum vita debet eſſe noſtra inſtructio *cap. ſignificaſti de elect.* tùm ùt quos viventes unus ſanguis, & una quodammodo vita coniunxit, neque mortuos ſeparet ſepulchrum.

22 Limita tamèn aſſertionem caſu quo alibi, & extrà majorum Sepulchrum quis elegerit ſepulturam, per *Text. cit. ibique Gloſ. verbo alienam elegit*; hoc enim facere poteſt, juxtà exemplum Chriſti Domini, qui natus in Bethleem, & mortuus in Nazareth ſepeliri volvit Hieroſolymis in ſepulchro novo Joſeph ab Arimathæa, ùt liquet *ex Matth.* 27.

23 Limita ſecundò, ſi Pater elegerit ſepulchrũ diverſo à ſepulchro majorum, filius enìm decedens ſepeliendus erit in ſepulchro Patris, non autèm in illo majorum remotiorum, quià ſepultura inter mortuos comparatur domicilio intèr vivos: filius autèm ſequitur originem, & domicilium Patris, non autèm minùs proximorum aſcendentium *l. aſſumptio* §. *Filius ff. ad municip.* Ità *Oldrad. conſ.* 28. *per tot. Antonell. de regimin. Eccleſ. cap.* 12. §. 1. *num.* 3. *Barb. loco cit. cap.* 10. *num.* 31. *& de offic. Paroch. cap.* 26. *num.* 31. *Samuel. de ſepult. contr.* 7. *num.* 3. *Rodriq. in ſumm.* 3. *parte cap.* 13. *num.* 12. *Lavor. lucubrat. tit.* 2. *cap.* 11. *num.* 114. *Medic. loco cit. quæſt.* 7. *num.* 22. Aſ-

24 Aſſero ſecundò. Si quis ſepulchrum majorum non habet, nec ſepulturam alibi elegerit, ſepeliendus erit in propria Parochia, ſub qua domicilium habuit, & ex qua Sacramenta percepit *cap.* 1. *hoc tit. & cap.* 1. *eodem tit. in ſexto*.

25 Quare ſi aliquis in Urbe degens Ruri ſe transferat, ibique occidat, adhuc, vel in avito tumulo, vel in ſua Parochiali Eccleſia, non autèm in Rurali illius Pagi Templo veniet condendus; *per Text. in cap. Is qui in princ. hoc tit. in ſexto, ibique Barb. num.* 2. Ratio autèm eſt, quià non preſumitur aliquem amittere domicilium per hoc, quod à loco ſuæ habitationis in

26 alium tranſeat recreationis gratia. Hinc ſi alicubi quis non ſpatiatum eat, ſed animo inibi morandi tempore non brevi, puta per annum, ſi ibi decedat, in Parochia illius loci eſt ſepeliendus, dummodò aliam ſepulturam non elegerit, juxtà *Abb. in cap.* 1. *num.*4. *hoc tit.* Et hoc quidèm ob frequentiam ſimilium caſuum, & ob magnam diſtantiam à loco domicilii, quorum ratione multa permittuntur, quæ aliàs prohibita cenſerentur, ùt ait *Gloſ. in cap. tùm ex literis verbo locorum diſtantiam de in integr. reſtit.* & adſtipulantur *Gloſ. Antonell. lib.* 1. *de regimin. Eccleſ. cap.* 12. §. 3. *num.*37. *Lavor. d. tit.* 2. *cap.* 11. *numer.* 147. *Menoch. de præſumpt. lib.* 6. *præſumpt.* 88. *num.* 3. *Rot. part.* 1. *diverſ. deciſ.* 643. *numer.* 3.

27 Infer ex his primò, Advenas, Peregrinos, vel damnatos ad mortem ſi Sepulturam majorum non habeant, aùt ad propriam Parochiam commodè deferri nequeant, vel ſepeliendos fore in Eccleſia Parochiali ſi deceſſerint extrà Parochiam, vel in illa Parochiali à qua Sacramenta ſuſceperunt, ſi mortui fuerint in Hoſpitio exiſtente intrà limites alicujus Parochiæ; *Fe-*

deric.

deric. de ſen. conſ. 259. *Gig. conſ.* 97. *num.* 3. *Gratian. tom.* 1. *diſcept.* 94. *numero* 73. *Mareſcott. lib.* 2. *var. cap.* 95. *num.* 9. *&* 10. *Barb. loco citato cap.* 10. *num.* 35. *Rot. coram Seraph. deciſ.* 1135. *num.* 1. *& ſeqq.* Quamvis ſatiùm ſit hac in re ſtare locorum conſuetudini, ùt advertit *Rota dicta diciſ. in fine*, *&* *Sperell. deciſ.* 87. *numero* 14.

28 Infer ſecundò, Prelatos Ordinum Regularium ſepe-
29 liendos fore in Eccleſiis ſuæ Prælaturæ, juxtà *Sylv. loco citato quæſt.* 8. *dicto ſexto*: Sicuti Epiſcopus, ſi pertranſiens per aliquem locum deceſſerit tumulandus erit in Eccleſia Cathedrali, non in Parochiali idque in reverentiam Dignitatis Epiſcopalis *Antonell. loco citato cap.* 12. §. 2. *numero* 34. *&* *Barb. de offic. Epiſcopi alleg.* 114. *numero* 40.

30 Infer tertiò, Uxorem viduam (Uxorem dico; jàm ductam ſcilicet in domum Viri, non ſponſam de futuro) ſi nulla ſepultura electa deceſſerit, non in majorum, ſed in Viri ſui ſepulchro ſepeliendam fore, ùt juxtà verba *Can.* 2. *in fin.* 13. *quæſt.* 2. = *quos coniunxit unum coniugium*, *coniungat unum ſepulchrum*. Major enim eſt coniunctio Uxoris cùm viro, quam cùm Parentibus, juxtà illud Scripturæ = *Relinquet homo Patrem*
31 *ſuum*, *& adhærebit Uxori*. Si verò mulier aliqua ob adulterium fuerit à viro ſeparata, in ejus Sepulchro tumulanda non erit, niſi ei ante mortem reconciliata fuerit, non enìm tùnc cenſetur eſſe de Domo, vel familia Viri *Sylv. loco cit. dicto quinto Ricc. in prax.* 4 *parte reſol.* 294. *num.* 9. *Samuel loco citato diſp.* 5. *controv.* 3. *concluſ.* 4. *num.* 6 *Lavor. dicto cap.* 11. *num.* 135. *&* *Medic d. quæſt.* 7. *num.* 26.

32 Quod ſi plures viros ſucceſſivè habuerit, in ultimò decedentis ſepulchro venit condenda; *per text. in dicto*

cto cap. Is qui §. Mulier hoc tit. in ſexto, Rodriqu. dicto cap. 130. *numer.* 2. *Palador. quotidianar. differentiar. different.* 66. §. 3. *numer.* 8. *Lavor. loco citato à numer.* 131. *Samuel. diſp.* 5. *dicta contr.* 3. *per tot. Barb. de Jur. Eccleſ. dicto cap.* 10. *num.*29. *Sperell. deciſ.*88. *num.* 13. Ratio eſt quià poſt mortem quoque mariti domicilium, & forum illius retinet, & honorem, ac dignitatem viri, durantibus adhùc in virtute reliquiis præteriti matrimonii. Ità *Text. in dicto §. Mulier. cap. ex parte de for. compet. ac l. quoties C. de privil. Scholar. lib.* 12.

33 Dicta tamèn hactenùs militant, ſi uxor poſt maritum decedat; quod ſi illi præmoriatur tùnc ſi maritus elegerit ſibi ſepulturam, in ea uxor ſepelienda eſt, quià ibi jàm videtur maritus animi deſtinatione ſe-
34 pultus; ſin autèm non elegerit, vel quià noluit, vel quià nequivit, ùtpote amens, vel abſens, tunc uxor, vel in majorum Sepulchro, vel in Parochiali Eccleſia eſt ſepelienda *Abb. in cap. de Uxore in ſexto hoc tit. & Sylv. loco citato Ricc. d. reſol.* 294. *num.* 24. *Samuel. dicta diſp.* 5. *contr.*2. *concluſ.* 2. *Marchettus de ſepulturis* §.9. *num.*178.

35 Quid autèm dicendum, ſi uxor electa ſibi ſepultura viro ſuo præmoriatur?

36 Reſpondeo, maritum ſepeliendum fore in majorum ſepulchro non autèm in illo uxoris. Ratio eſt, tùm quià in *Can.*3.13.*quæſt.*2. dicitur = *Unaquæque mulier ſequatur Virum &c.* non autèm è contra, tùm quià mulier ſequitur domicilium, & jura mariti non autèm maritus jura, & domicilium uxoris, quod ſanè videretur abſurdum, adeòque maritus, & uxor non cenſentur eodem Jure, niſi quoad uſum matrimonii. Ità *Abb. loco citato num.* 7. *& Sylv. loco citato Medic.*

dicta quæſt. 7. *num.* 26. *Lavor. dicto cap.* 11. *num.* 140. *Marchett. loco citato numer.* 189. *Nicol. in floſculis v. ſepultura num.* 4. *Antonell. dict. cap.* 12. §. 1. *num.* 13. *Rodriqu. in ſum. cap.*130. *num.*13. *in fine* .

37 Dices autèm contra . Hactenus aſſerta ſupponunt dari caſum, in quo Mulier non ſit tumulanda in ſepulchro Viri , & poſſit eligere diverſam ſepulturam ab ea Mariti: ſed hic caſus dari non poteſt; ergò &c. Probatur minor ex pluribus Juris ſanctionibus, in quibus dicitur, quod Vir, & Uxor eodem Lare victitant *l.* 1. §. *Si Vir ff. ad Syllanian. l. ſed nec ff. de uſu* , *& habit. l.* 1. §. *Domum ff. de liber. agnoſcen.* Et in una Domo cohabitare debent *l.*4. §.1. *ff. de uſu & habit. & l.*111. *ff. de verb. oblig.* Sed ſepultura eſt Domus defunctorum *l.* 4. *C. Theodoſ. de ſepulchro violato* ergò &c.

38 Ulteriùs conſtat exemplis veterum Patriarcharum, qui eodem ſepulchro cùm Uxoribus ſemper conditi fuerunt, ùt ex *Geneſ.* 25. *&* 49. *Joſue* 14. *& Tobiæ* 4. *&* 14. conſtat eum præcepiſſe filio ſuo, ùt matrem ſepeliret juxtà ipſum in eodem ſepulchro, & Judith viro ſuo fuiſſe contumulatam liquet ex ejuſdem *Judith.*16. ac narrat *D. Chriſoſt. lib.* 1. *de Sacerd.* Matrem ſuam ab ipſo petiiſſe , ùt ſuum corpus cùm mariti oſſibus conjungeret, *& D. Auguſt. lib.*9. *confeſſ. cap.*11. refert id ipſum ſemper expetiiſſe Sanctam Monicam ejus Genitricem , è cujus lacrymis denuò renatus fuit ad gratiam, qui jàm pridèm ab illa genitus fuerat per naturam . Ac Judæis ſolemne fuit , ut vidua viva ſimùl cùm marito in rogum iniiceretur , ſique plures eſſent Uxores , mutuò de morte oppetenda certamen inibant, quæque evadebat victrix rogum læta aſcendebat . Perpolitè hanc conſuetudinem carminibus concinnavit *Propert. lib.* 3. *eleg.* 13.

Fœlix

Fœlix Eois Lex funeris una maritis,
Quos Aurora ſuis rubra colorat Equis:
Namque ubi mortifero jacta eſt fax ultima lecto,
Uxorum fuſis ſtat pia turba comis:
Et certamen habent lethi, quæ viva ſequatur
Coniugium, pudor eſt non licuiſſe mori.
Ardent victrices, & flammæ pectora præbent,
Imponentque ſuis ora peruſta viris.

39 Objecta tamèn exempla facili negocio ſolvuntur ea ratione, quod per illa non inducatur præceptum, ſed conſilium tantùm; Cùm enìm aliàs electio ſepulturæ intèr ultimas voluntates connumeretur, ſicut mulier poteſt condere teſtamentum, ità & ſepulturam eligere: Maximè quià *Text. in cap. de uxore hoc tit.* in uxori permittens pulcherrimam affert rationem illis verbis = *Cùm electio iſta ad eum potiùs ſtatum pertineat, in quo Mulier ſoluitur à lege Viri*, ideſt ad mortem, qua Matrimonium ſolvitur. Et ratio rationis eſt, quià in his Caſibus in quibus à Jure attenditur effectus tantùm, paria ſunt aliquid diſponere tempore habili, vel inhabili, dummodò effectus conferatur in tempus habile. Quod comprobatur ab ipſo Jure Civili, quod etiàm hanc facultatem ſepulturam eligendi uxoribus conceſſit *in l. alumnæ §. Ab hæredibus ff. de adimen. legat.* nàm quamvis de Jure Civili prohibeantur donationes intèr Virum, & Uxorem, *ùt ex l. 1. & ſeqq. ff. de donat. inter Vir. & Uxor.* donare tamèn poſſunt conjuges inter ſe in caſum mortis, deportationis, vel divortii, ob rationem allatam à *Text. in l. quià ff. eod. tit. quia Donationis eventus excurrit in id tempus, quo vir, & Uxor eſſe deſinunt.*

40 Infer jàm quartò ex dictis, quamlibet perſonam, dummodo pubes ſit *per Text. in cit. licet hoc tit. in ſexto*

Digitized by Google

41 poſſe eligere ſepulturam, etiàmſi ſit filius familias, tùm quià hæc diſpoſitio confertur in tempus, quo filius familias eſſe deſinit, ùt de uxore dixi, tùm quià patria poteſtas non extenditur ad ſpiritualia *c. fin. de judiciis in ſexto*, poſt illud *Capon. tit.* 5. *diſcept.* 325. *nu.* 15. *Barb. d. c.* 10. *n.* 30. *& Molin. de Juſt. & Jur. tract.* 2. *diſp.* 214.

42 Limita unicè hanc illationem in Religioſis profeſſis, qui ſolùm in ſuis Monaſteriis ſepeliendi ſunt, niſi adeo

43 eo eſſent ab illis remoti, ùt eo commodè poſt mortem deportari non poſſent *c. fin. hoc tit. in* 6. tùnc enim ſepulturam poſſent eligere: tùm quià *Textus in dict. cap. fin.* prohibitioni ne Religioſus eligat ſepulturam adjungit ità per modum exceptionis = *Niſi à propriis Monaſteriis adeò ſint remoti &c.* tùm quia ùt ait *Gloſ. ibidem verbo commodè* ob diſtantiam locorum multa permittuntur quæ aliàs prohiberentur: juxtà *Monach. in dict. cap. ultimo num.* 2. *Anchar. ibidem notab.* 3. *&*

44 *Sylv. loco cit. quæſt.* 6. Et ſi non elegerint erunt ſepeliendi in Eccleſia Parochiali loci illius, juxtà *Anchar. loco cit. & Sanchez moral. tom.* 1. *lib.* 6. *cap.* 14. *num.* 4. Ratio autèm eſt, quià quoad Religioſum prohibitio electionis ſepulturæ eſt unus ex illis actibus, in quibus non attenditur effectus tantùm, ſed etiàm ejus initium ſpectatur, adeòque non ſufficit quod effectus referatur ad tempus habile, ſi actus incæperit tempore inhabili, quo ſcilicèt Religioſus habebat nec velle, nec nolle. Quod patet exemplo Juris Civilis *in l. ſi minor ff. de ſerv. exportand.* ubi minor vigintiquinque annis nequit ſervum manumittere, quamvis manumiſſio referatur in tempus, quo compleverit vigeſimum quintum annum, quià Lex ſpectavit initiũ actus, quo tẽpore manumiſſio fierit non poterat ob defectũ perfectæ ætatis, & maturi Judicii in minore *Abb. in d.*

c. de

Digitized by Google

c. de uxore nu.4. hoc tit. & Sanch. lib.6. mor.c.14.nu.1.

45 Quare Novitius, cùm adhùc obedientiæ voto non ligetur, poterit ſepulturam eligere, juxtà *Sanchez loco*
46 *cit. num.* 10. Quod ſi non eligerit, ſepeliendus erit in Monaſteriis Ordinis, quià gaudet omnibus juribus, & privilegiis, quibus cæteri Religioſi fruuntur, cùm jàm ſit membrum Ordinis admiſſum ad probationem *Rodriqu. tom.2. qu.Regular. qu.39. art.4. Sylv.qu.8.dict.7. Sanch. loco cit. num.* 11. *& Capon. diſcept. 325. num.6.*
47 Prælatus autem Religionis non habens in Religione Superiorem, ùt Præpoſitus Generalis, poterit ſibi eligere ſepulturam, juxtà *Abb. in d. cap. de uxore num.5. Sylv. loco citato quæſt. 6. de Franch. de controv. inter Epiſc. & Regular. quæſt.60. & 61. ac Barboſ. de Offic. Paroch. cap. 26. numer. 30. propè finem*, eo quià talis Prælatus in multis habeat velle, & nolle, & ſubdi-
48 tos ſub poteſtate. Quòd ſi moriatur dimiſſa Prælatura, electio ſepulturæ facta non habebit effectum, quià tempore mortis non erat habilis ad illam eligendam, cùm non eſſet Abbas, ſed Monachus, & ideò non habens nec velle, nec nolle. Ità *Rodriqu. loco cit. qu.60. art.1. de Franch. loco cit. & Sanch. loco cit. nu.8.*
49 Neque huic generali facultati, quàm regularitèr habemus eligendi ubilibet ſepulturam quidquam detrahit *Text. in cap. fraternitatem hoc tit.*
50 Ibi enim improbatur tantùm electio ſepulturæ facta in loco minùs Religoſo, ideſt non habente Cæmeterium nec de Jure, nec ex privilegio, quæ voluntas Teſtatoris reſpuenda eſt, cùm non deceat aliquem, etiàm volentem, in loco minùs ſacro, & prophano ſepelire contrà inſtitutionem Eccleſiæ, & aſſerta Patrum. Ità *Gonzal. ad dict. cap. fraternitatem numer. 6. & Fagnan. num.* 2. Vel potes dicere *cùm Abb. in eumdem Text. num.* 4.

Digitized by Google

*num.*4. *in fin.* in dicto textu ſolùm prohiberi ne aliquis dolo,& contemptu ductus recuſet ſepeliri in majorum ſepulchro, in quo de Jure tumulari debebat, & aliam ſepulturam eligat non relinquendo priori Eccleſiæ, in qua ſepeliendus erat, portionem canonicam debitam, de qua infrà; tunc enim Eccleſia injuſtè præterita, & contempta poterit repetere ab aliaEccleſia corpus defuncti,ùt in ſepulchro majorum ſuorum ſepeliatur.

51 Jàm autèm aſſero tertiò. De Jure communi Jus ſepeliendi competit tantum Eccleſiis habentibus Populum, ſeù Parochialibus *Abb. in cap. certificari hoc tit. numer.* 8. *Sylv. loco cit. quæſt.* 3. *& DD. paſſim*. Et *Textus in Can. ubicumque* 13. *quæſt.*2.Ità eſt explicandus, quòd nempè loquatur de Eccleſiis populum habentibus, ùt explicat *Abb. in cap.*3. *not.*1. *hoc tit.*

52 Ex ſpeciali tamen Sedis Apoſtolicę privilegio etiàm Religioſis hoc jus competit; & patet *ex Clementina dudum* §. *Hujuſmodi hoc tit.* hoc privilegium conceſ-
53 ſum fuiſſe Ordini Predicatorum, & Minorum. Poteſt
54 tamen, & Legatus à Latere in ſua Provincia, & Epiſcopus cùm conſenſu Capituli in ſua Diœceſi jus ſepeliendi concedere, cùm non poſſit ſine Capituli conſenſu negocia ardua Epiſcopus, expedire, quale eſſet Jus ſepulturæ auferre Eccleſiæ Parochiali, & dare alteri, quòd neceſſariò ſaperet alienationem rei, ſeù Juris Eccleſiaſtici. Ità *Abb.loco citato num.*9. *& Barb. de offic. Paroch. loco cit. num.*9.

55 Jubetur tamèn *à Text. in cap. animarum hoc tit. in ſexto* Religioſis, & Clericis Sæcularibus quibuſcumque,ne inducant aliquos ad vovendum,vel jurandum, ùt apud ipſorum Eccleſias ſepulturam eligant,vel jàm electam nullatenùs immutent, & hoc ſub pęna nullitatis electionis, & etiàm interdicti Eccleſiarum, in quibus

quibus fuerint ſepulti, niſi intrà decem dies corpora defunctorum, & proventus occaſione talis ſepulturæ retractos reſtituant.

56 Quare hęcConſtitutio(utpotè pęnalis,adeòque ſtrictè interpretanda) non habet locum primò, ſi quis in-
57 ducatur voto,vel juramento ad eligendam ſepulturam in aliena Eccleſia,puta ſi àParocho induceretur ad eligendam ſepulturam inEccleſia Fratrum Minorum. Ità *Rodriqu. to.2.quæſt. regul. qu.*58. *art.*7. *dub.*4. *Paſſerin. de ſtat. homin.quæſt.*187.*art.*4. *nu.*420. *Murg.de ſepult. tract.* 7. *ſect.* 1. *diſquiſit.*6. *dub. unico num.*10. *Amoſtaz. loco cit. cap.*9. *num.*20. *Paſqualig. deciſ. moral.* 373. *numer.* 5. & noviſſimè *Rota in Carpentoracten. ſepulturæ* 18. *Februarii* 1701. *cor. R. P. D. dell' Olmo* §. *Nam teſtes in fine* ubi latè ad materiam *dict. cap. animarum ferè per tot.* Secundò, ſit inductio non fuerit ſortita effectum, quià inductus noluerit vovere, vel jurare
58 *Rodriqu. loco cit. dub.*5. Tertiò, ſi quis ſponte,& motu proprio ſepulturam elegerit. *Hoſtienſ. in ſum. hoc. tit.*
59 *num.* 8. *in fin.* & *Rodriqu. loco cit.* §. *Pen.* Vel præciſe ad exhortationem factam v. g. à Parocho pro eligenda ſepultura in propria Eccleſia *Murg.loco cit.nu.* 12. *Paſſerin. loco cit. num.* 421. & 424. *Paſqualig. loco cit. num.* 4. & *deciſ.*377. *per tot.* & *in dict. Carpentoracten.*
60 §. *Altera*. In dicto enim *cap. animarum* unicè prohibentur illæ ſuggeſtiones, quæ dolo, vel malis artibus, ſeù præcedente pacto, vel juramento interponuntur, ùt communitèr tradunt *DD. ad illud*, *Anchar. nempè ſub nu.*1. *Joan. Andr.nu* 2. *Rodriqu.tit.*3.*qu.*58. *art.*7. *in fin. Samuel. tract.* 1. *contr.* 5. *per tot. Amoſtaz. loco cit. nu.*20. & 22.*Paſſerin.*& *Paſqualig.locis cit.*& cùm ipſis *Rot. in d. Carpentoracten.* §. *Nec Cathedrali,* & *ſeqq.*
61 Aſſero quartò. Terra ad ſepulturam fidelium per
conſe-

conſecrationem, vel. benedictionem Epiſcopi jàm deſtinata non poteſt abſquè labe ſimonię emi, vel vendi. Primò, quià eo ipſo venderetur ipſa conſecratio , & benedictio. Secundò, quià ſepultura eſt res religioſa, *Can. quiſquis* 17. *quæſt.* 4. *&* *cap. conſuluiſti de conſecrat. Eccleſ.* quæ autèm Religioſa ſunt nequeunt pretio æſtimari , quià ſunt extrà noſtrum commercium *cap. non ſatis de ſimonia* , *&* §. *Nullius Inſtitut. de rer. diviſ. &c. Nàm* (uti libet pro ratione ipſis verbis *Text. in Canon.* 14. 13. *quæſt.* 2.) *ſi daretur pretium pro ſepultura* , *auri ſacra fames mortalia Sacerdotum pectora cogeret fas omne abrumpere* , *&* *denegare ſepulturam illis* , *qui pretium undè ſolverent non haberent* , *&* *eruerent mercantibus Sacerdotibus de humana morte compendium* . Vetantibus etiàm PP. Concilii Meldenſis *Can.* 72. = *pro loco ſepulturæ pretium de terra conceſſa putredini quærere* , *&* *de alieno luctu velle facere compendium* .

62 Adverte tamèn primò, hanc prohibitionem non habere locum ſi fundus, ſeù Terra nondùm ſacra vendatur hac intentione, ùt in fidelium ſepulturam conſecretur *Gloſ. in cap. penult. verb. ſepultura hoc tit.* *&* *ibidem Innoc. num.* 1. *S. Thom.* 2. 2. *quæſt.* 100. *num.* 4. *ad* 3. *Suar. lib.* 4. *de Simon. cap.* 14. *num.* 17. Ratio eſt, quià illa Terra ſecundum ſe eſt res merè temporalis, adeòque pretio æſtimabilis , quamvis per accidens ematur ad uſum ſacrum , undè etiàm fundus emi , & vendi poteſt ad Eccleſiam ædificandam . Et etiàm de Jure Civili locus religioſus is tantùm dicebatur, in quo Cadaver humanum illatum fuerat *l. cùm loca* , *&* *l. cùm in diverſis ff. de Religioſ. &c.* *&* §. *Religioſum Inſtit. de rer. diviſ. &c.* locus autèm ſepulturæ , in quo Cadaver humanum adhùc non fuerat illatum, vocabatur

cabatur

Digitized by Google

cabatur locus purus *l.*1.§. *Purus ff. de relig. & l. locum C. eodem tit.*

63 Advertè ſecundo, quod licèt Clerici, quibus cura ſepeliendi ratione Beneficii, vel officiiproprii incumbit, nequeant pro ipſo officio ſepulturæ, exequiis, vel deductione funeris, quid quam exigere, tamèn liberalitèr oblata accipere poſſint; maximè ſi in aliquo loco vigeat hujuſmodi conſuetudo aliquod liberalitèr offerendi in caſibus hujuſmodi *cap. ad Apoſtolicam de ſimon. & Gloſ. in cap. pen. verbo exigere hoc tit.* inquit = *multa inboneſtè peti, quæ boneſtè accipi poſſunt* = *Gratian. diſcept.* 110. *numer.* 10. *& in deciſ. Marchiæ* 26. *numer.* 14. *&* 15. *Lura de Anniverſ. & Cappell. lib.* 1. *cap.* 27. *num.* 17. *Amoſtaz de cauſis piis lib.* 6. *cap.* 7. *num.* 27. *Thomaſſin. in veter. & nov. Eccleſ. diſciplin. lib.* 3. *cap.* 68. *per tot. & Rot. in Romana Funeralium* 15. *Junii* 1699. *coram bo. mem. Molines Decano*, quæ *numer.* 12. cùm *Abb. in dicto cap. ad Apoſtolicam Bald. conſ.* 58. *part.* 2. *Caſtrenſ. conſ.* 363. *lib.* 1. *Gratian. diſcept.* 210. *numer.* 24. *& Lavor. var. lucubr. tit.* 2.

64 *cap.* 10. *num.* 23. aſſerit Populum, ſi non jure actionis, officio Judicis adſtringi poſſe ad ſervandam hujuſmodi piam, & laudabilem conſuetudinem. Alii autèm

65 Clerici, qui ratione Beneficii ad ſepeliendum non obligantur, poterunt aliquid pro officio hujuſmodi accipere non nomine pretii, ſed in ſtipendium extraordinarii laboris *cap. cùm in Eccleſiæ de ſimon. Gloſ. in dicto cap. pen. verbo ſepultura, ibique Abb. num.* 6. *&* 7. *ac Suarez loco citato cap.* 15. *num.* 8.

66 Adverte tertiò pro loco honoratiore, & digniore in uſum ſepulturæ concedendo poſſe Eccleſiam pretium recipere, tùm quià ipſa, ſicuti quilibet alius privatus non cogitur de ſuo facereBeneficium *can. precariæ* 10.

quæſt. 2. tùm quià pretium non exigitur pro ipſo jure ſepulturæ, quatenùs eſt quid ſpirituale,& gratis fidelibus debitum , ſed pro jure proprietatis ad locum honoratiorem, vel digniorem, quæ major loco dignitas eſt quid pretio æſtimabile , juxtà *Gratian. diſcept.* 40. *&* 210. *Frances de Eccleſ. Cathedr. cap.* 16. *num.* 89. *Laram de anniverſ. lib.* 1. *cap.* 15. *numer.* 17. *Guttier. tom.* 2. *Can. quæſt. quæſt.* 21. *num.* 148. *Garz. de Beneſ. part.* 5. *cap.* 9. *num.* 136. *Dian. part.* 2. *tract.* 15. *reſol.* 57. *Suarez de Relig. loco citato cap.* 14. *à numer.* 8. *Samuel. tract.* 2. *diſp.* 1. *controv.* 13. *concluſ.* 8. *à num.* 18. *Olcam de ceſſ. Jur. tit.* 3. *quæſt.* 8. *num.* 24. *Antonell. de regim. Eccleſ. lib.* 1. *cap.* 12. *num.* 56. & à me etiàm fuit dictum *in prima parte harum Inſtitutionum tit. de Jurepatro-*
67 *natus cap.* 2. *num.* 79. Unde ob præfatam rationem poteſt etiàm Eccleſia vendere Jus hoc temporale , ùt quis ejuſque familia tantùm in certo loco ſepeliatur, non verò alius *Suarez loco citato cap.* 4. *Layman. lib.* 4.
68 *Theol. moral. tract.* 10. *cap. ult.* Sicuti etiàm vendi poteſt à privato Sepulchrum , quod propria pecunia, & expenſis conſtruxit, quià non diſtrahitur religioſitas loci, ſed materialis rei valor unà cùm Jure ſepeliendi . Ità *Barboſ. in cap. abolendæ hoc tit. num.* 7. *& Ignatius Laſſarte , & Molina de decima venditionis, & permutationis cap.* 14. *numer.* 5. *Noguerol. alleg.* 36. *à numer.* 21. *Salgad. in labyr. credit.* 3. *part. cap.* 5. *à num.* 47. *Lotter. de re Benefic. lib.* 2. *quæſt.* 4. *num.* 17.
69 *Barboſ. de offic. Paroch. cap.* 26. *à num.* 18. Quamvis ex hujuſmodi venditione non fore ſolvendam ab Emptore gabellam (etiàm quandò hæc ratione localis conſuetudinis, vel Juris ex contractu emptionis ſolvenda foret) aſſer ùt meritò *Parlador. lib.* 1. *rer. quotid. cap.* 3. §. 3. *num.* 35. *Guttier. de gabell. lib.* 2. *cap.* 9. *num.* 36.

& Laſ.

Digitized by Google

& Laſſart. ubi ſupra, Molin. de Juſt. & Jur. tract. 2. diſput. 664. num. 14. Tiraquell. de cauſ. piis in præfat. verſ. Item legatum. Leoncill. de privil. pauper. 2. parte privileg. 369. num. 18. & 21. ea ratione, quià neque de Jure Civili debeatur vigeſima ex pretio dato pro loco Sepulturæ, *per Text. in l. funeris ff. de religioſis &c.* & juxtà DD. allegatos, ex factis intuitu pietatis gabella non perſolvitur.

CAPITULUM UNICUM.

De Portione Canonica Parocho debita, vel Quarta funerali.

70 CERTUM eſt apud omnes, quod ſepeliens alienum parochianum, qui ſepulturam ibi non elegerit, teneatur reſtituere Cadaver ſepultum cùm omnibus obventionibus ob hanc rationem quæſitis, *per Text. in cap. ex parte hoc tit. & cap. cùm liberum tit.*
71 *eodem in ſexto*: ſi tamèn Eccleſia, quæ agit contra illam, in quà Cadaver fuit tumulatum non ſolùm utatur interdicto poſſeſſorio, ſed etiàm probet titulum, ſaltèm apparentèr juſtum, puta quod habeat Tumulum majorum defuncti, vel quid ſimile; & hoc ad evitandum abſurdum, & incommodum, quod facilè oriri poſſet, nam ſi pars, ſive Eccleſia conventa per interdictum poſſeſſorium tantùm, probaret titulum proprietatis ſibi competentem, corpus foret denuò exhumandum ab Eccleſia actrice, & Eccleſiæ conventæ iterum reſtituendum, cùm cauſa proprietatis abſorbeat cauſam poſſeſſionis, eique prævaleat *per Text.*

in cap. cùm dilectus de cauſ. poſſeſſ. & propriet. ibique Abb num. 2. & Innoc.

72 Sin autèm Parochianus elegerit extrà Parochiam ſepulturam,ſolvi debet Parocho proprio portio canonica de qua hic accuratè agendum,cùm *in prima parte* jàm latè *dixerim* de portione canonica Epiſcopo competente *ſub tit. de his qui ſunt in altiori dignitatis gradu conſtituti cap. 5. à num.* 208.

73 Monui jàm ſuperiùs in hoc titulo, & nunc apertiùs aſſero, Eccleſias Parochiales tantùm(utpotè illas,quæ ſolummodò de Jure habebant Populum, & Cæmeterium) habuiſſe etiàm de Jure communi Jus privativum ſepeliendi, *per Gloſ. in Clem. dudum de ſepulturis verb. ſepulturam, Abb. in cap. fraternitatem hoc tit. verſ. ſed ego, ibique Fagnan. num.4. & 6. Archid. in cap. certificari tit. eodem num.* 89. *Lavor. var. lucubr. tit.2. cap.9. num.2. 3. & 7. Frances de Eccleſ. Cathedr. cap. 17. numer. 7. Amoſtaz. de cauſ. piis lib. 6. cap. 2. à num.* 15. *ad* 19.

74 Regulares autèm,& Monachi,cùm de Jure non haberent populum, ſolùm retinebant Cæmeterium pro ſepeliendis ibi Monachis,& Religioſis propriis;ad *Te-*
75 *xtum literalem in Canon. placuit* 16. *quæſt.* 1. Quarè cùm de Jure communi Jus hoc ſepeliendi alios prætèr Regulares proprios non haberent, debuerunt recurrere ad SedemApoſtolicam,& ab illa per ſpeciale privilegium obtinere hanc facultatem, ùt patet *ex Clementina dudum hoc tit.Federic.de ſenis conſ.*135*.num.*19. *Lavor. loco citato num.* 10. *Amoſtaz. loco citato cap.* 3. *num.* 1. & 38. & *Rota magiſtralitèr in dicta Romana funeralium* 15. *Junii* 1699. *coram bo. mem. Molines Decano à num.*14. *uſque ad* 17.

76 Hinc Summi Pontifices hęc privilegia Monachis,&
Regula-

Regularibus concedentes habuerunt in uſu munire privilegia hujuſmodi hac clauſula præſervativa = *Salva Juſtitia illarum Eccleſiarum, à quibus mortuorum*
77 *corpora aſſumuntur* = per quam clauſulam voluerunt præſervare portionem canonicam Parocho debitam, eo quià Eccleſiæ Parochiali de Jure competebat Jus ſepeliendi privativum quoad omnes Regulares *Text. expreſſus in cap. certificari hoc tit. Gonzalez, Tellez in cap. cùm ſuper hoc tit. nu.*11.*Lavor. loco cit. nu.*5. *Barb. de offic. Paroch. part.* 3. *cap.* 25. *num.* 10. *&* *in Concil. ſeſſ.*25. *cap.*13. *de reform. num.*5. *verſ. Regulares tenentur Rot. deciſ.* 83. *poſt Tamburin. de Jur. Abbat. in fine tom.* 3. *&* *deciſione* 1. *poſt Antonell. de Jur. & oner. Cleric. num.* 8. *&* 9.

78 Imò niſi appoſita fuerit ſpecifica derogatio *Clementinæ dudum de ſepultur.* non intelligitur per quodcumque privilegium licèt ampliſſimum conceſſa Regularibus exemptio à ſolutione hujuſmodi portionis canonicæ *cap. ex parte de Capell. Monach. Rot. coram Cavaler. deciſ.* 101. *num.* 1. *deciſ.* 122. *parte* 1. *rec. & d. deciſ.* 1. *numer.*4. *&* 5. *ac deciſ.* 2. *num.*8. *poſt Antonell. loco citato.*

79 Evidens igitùr ſit Canonici Juris Cenſuram exigere, quod humatis extrà Parochialem Eccleſiam defunctorum Cadaveribus Parocho portio canonica debeatur, ùt habetur *ex cap. certificari hoc tit. ex dictaClemen. dudum §. Verùm*, & dixit pluriès *Rot. præſertìm coram Coccin. deciſ.* 2089. *num.* 8. *&* 24. ac latè *in dicta Romana funeralium num.* 20. *&* 21. *&* *in Gerunden. officiorum* 7. *Decembris* 1699. *coram R. P. D. Pio §. Quæ*
80 *quidèm*. Hæc autèm canonica portio ſolvenda venit Parocho in compenſationem laboris, quem ſuffert in adminiſtrandis Sacramentis *cap.* 1. 4. *&* 10. *hoc tit. &*

dicta

dicta Clement. dudum §. Verum, ubi latè Vitalin. num. 5. Roman. conſ. 342. num. 1. & 2. Petr. de Ubald. in tract. de Canon. Port. cap. 2. per tot. & cap. 6. ac 7. utrobique num. 1. Barb. de Offic. Paroch. loco cit. num. 19. & 32. Rota coram Mantica deciſ. 294. num. 1. coram Caval. dicta deciſ. coram Merlin. deciſ. 19. nu. 2. & deciſ. 480. num. 5. & ſeqq. coram Manzaned. deciſ. 99. num. 6. deciſ. 402. nu. 5. & ſeqq. ac deciſ. 552. nu. 8. part. 5. rec.

81 Et quidèm detrahenda eſt de omnibus oblationi-
82 bus, quæ offeruntur in die ſepulturæ, etiam de Cereis & Intortitiis, quæ circa Cadaver deferuntur, aliiſque, quæ ad exequias, & pompam funebrem ſpectant, &
83 de armis, libris, culcitra, ſeù Pallio quæ in Pheretro deferuntur, ac de aliis pannis, ſericis, vel aureis, & ſimilibus *cap. in noſtra hoc tit. Oldrad. conſ. 211. nu. 7. Barb. loco cit. num. 44. Petr. de Ubald. loco cit. cap. 4.*
84 *num. 5.* Rurſus de omnibus relictis à Teſtatore, vel ti-
85 tulo inſtitutionis, vel legati Eccleſiæ ſepelienti. Uno verbo; de omnibus obventionibus, quæ dantur Eccleſiæ, in qua quis elegit ſepulturam, vel interìm dentur ipſo die depoſitionis defuncti, vel diebus ſubſequentibus uſque ad diem trigeſimam, dummodò tendant in memoriam funebrem luctus. Ità *Gloſ. in dicta Clem. dudum verbo funeralibus* ibique *Anchar. num. 3.*

86 Quamvis conſuetudine ſolùm receptum eſſe, ùt Eccleſiæ Parochiali dicta portio ſolvatur ex his tantùm, quæ offeruntur tempore, ac die, quo funus, ſeù exequię defunctorũ celebrantur, aſſerant unanimitèr *Hoſtien. in cap. fin. de teſtam. nu. 6. ibique Covar. nu. 7. Panormit. in cap. in noſtra hoc tit. numer. 7. Molin. de Juſt. & Jur. tract. 2. diſp. 20. cap. 5. num. 4. & Barb. lib. 3. Jur. Eccleſ. cap. 24. num. 36. Calderin. conſil. 4. per tot. de ſepultur. Barboſ. loco citato de officio Paroch. cap. 24.*

cap. 24. *ſub num.* 37. *Pignatell tom.* 1. *conſultat. Canonic.*52. *ſub num.* 8. *Ricc. in prax. for. Eccleſ. reſol.* 581. *num.*5. *part.*1. *Azor. inſtit. moral. part.* 2. *lib.*9. *cap.*14. *quæſt*13. *verſ. funeralia Lavor. loco citato cap.*3. *nu.*191. *& ſeqq. Rot. deciſ.* 501. *num.* 2. *part.* 13. *& deciſ.* 223. *num.*10. *& ſeqq. part.* 14. *rec.*

87 Varia tamèn pro temporum varietate fuit hujus
88 Canonicæ portionis quantitas. Primò enìm Leo III.
*in cap.*1. *hoc tit.* eam decrevit eſſe tertiam partem, &
89 deinde *in cap.* 2. *eodem* quaſi mutato conſilio ſecun-
90 dam partem eſſe juſſit. Urbanus III. *in cap. cùm ſuper*
eodem voluit eſſe quartam partem, & ejus ſententia
approbata fuit *à Clementina dudum hoc tit.* quarè com-
91 munitèr dìcitur *quarta funeralis*. Innocentius verò
III. *in cap. in noſtra eodem tit.* ad tertiam partem illam
92 reduxit; Sed cùm hæc portio lege poſitiva inducta
ſit, poteſt juxtà varias conſuetudines modò major eſſe,
modò minor, adeòque hac in re ſtandum eſt uſui lo-
93 corum Romæ tamèn conſuetudo viget ſolvendi hanc
portionem in medietate emolumentorũ præfatorum,
quæ conſuetudo reducta eſt ad formam legis ſcriptæ
per ſtatutum Cleri Romani, ſub *cap.*4. quod ſtatutum
habetur confirmatum *à S.M. Urbano VIII. Ann.*1629.
per ea, quæ tradunt *Barb. de Jur. Eccleſ. lib.*3. *cap.*25.
num. 41. *&* 42. *Paſſerin. de ſtat. Homin. quæſt.* 187.
art. 4. *num.* 487. *in fine*, *& Rota in dicta Romana funeralium num.*20. *in fine*.

94 Et amplia hanc aſſertionem ità procedere Romæ,
ùt etiàmſi in illa Eccleſia, in qua Teſtator ſepulturam
elegit funerale factum non fuerit, adhùc taxari debeat
per Camerarium Cleri juxtà qualitatem, & patrimonium
defuncti, & ità taxatum, & integrum ſpectet ad
Eccleſiam Parochialem, ùt latè diſcuſſo articulo fir-

mavit

mavit *Rota in dicta Romana funeralium à numer.* 14.
95 *uſque ad* 28. *incluſivè*. Ratio autèm eſt, quià jus ſepeliendi, & funerandi ſpectat ad Parochum de Jure communi, quamvis autèm Jus ſepeliendi ex privilegio Sedis Apoſtolicæ ſpectare poſſit ad alias Eccleſias præter Parochialem, Jus tamèn funerandi ſemper competit Parocho, ex notatis *per Lapum alleg.* 59 *n.* 3.
96 *Pignattell. tom.* 6. *conſult. Canon.* 88. *num.* 8. Nec ſicuti Eccleſiæ non Parochiales poſſunt oſtendere Privilegium Apoſtolicum quoad Jus ſepeliendi, poſſunt etiàm oſtendere illud quoad Jus conſequendi funerale
97 non factum; adeòque Parochus habens de Jure communi utramque facultatem, & funerandi, & ſepeliendi, dicitur habere intentionem pluſquàm fundatam, ex relatis *in deciſ.* 151. *num.* 7. *&* 8. *part.* 6. *rec.*

98 Adſtipulante his omnibus conſuetudinem Romæ vigente taxandi etiàm funerale non factum, quæ conſuetudo in hac materia plurimum operatur *Innoc. in cap. dilectus num.* 5. *de capell. Monach. Anchar. in cap. ad audientiam numer.* 6. *verſ. Quartò quæro, de Eccleſ. ædific. & Rot. deciſ.* 376. *num.* 2. *part.* 1. *recent.*

99 Quin obſtent *Text. in cap. relatum, cap. in noſtra, cap. cùm ſuper hoc tit. & Clementina dudum citata*, ex quibus eruitur nonniſi quartam partem obventionum ſpectantium ad Eccleſiam, in qua quis eligit ſepulturam, pertinere ad Eccleſiam Parochialem.

100 Nam, ùt optimè reſpondit *Rota in dicta Romana funeralium num.* 21. *& ſequent.* illi textus loquuntur unicè de funerali facto, & à Teſtatore mandato, ac de rebus ab illò Eccleſiæ ſepelienti relictis, non autèm ſi funerale factum non fuerit, nec imperatum à Teſtatore quod non poteſt comprehendi ſub dd. textibus per modum privilegii conceſſis, adeòque à Jure com-

muni

muni exorbitantibus, ùt in terminis ait *Pignattell. loco citato num.* 2. *&* 3. & dixit *Rota in dicta Romana funeralium* 24. *Aprilis* 1690. *§. Viſa eſt coram cl. me. Card. Caprara*, cùm aliàs certiſſimum ſit in Jure privilegia non fore extendenda de caſu ad caſum, neque ob identitatem rationis *cap. ſuggeſtum de decimis l.* 1. *C. de legibus Giron. de privil. & exempt. ex numer.* 53. *Fontanell. deciſ.* 476. *num.* 7. *Rota dec.* 8. *num.* 3. *&* 4. *part.* 8. *& deciſ.* 287. *num.* 6. *part.* 18. *recent.*

101 Poſſunt tamèn dari, & aliqui caſus, in quibus hæc Canonica portio ſolvi non debeat Eccleſiæ Parochiali; & primò quidèm, ſi fuerit abrogata per conſuetudinem præſcriptam quadraginta annis cùm titulo, vel tempore immemoriali ſine titulo, quod requiritur ad hoc, ùt infrà quartam partem, vel in nihilo ſolvi debeat, ùt docent *Abb. in cap. certificari num.* 6. *&* 7. *hoc tit. Sylv. in ſumm. verbo Canonica portio quæſt.* 1. *num.* 3. *Barb. de offic. Paroch. cap.* 25. *num.* 16. *Petr. Ubald. de Canon. port. cap.* 5. *num.* 3. *& ſeqq. & cap.* 6. *num.* 34. *& ſequen. Lap. de Caſtiglion. de Canonic. portion. cap.* 2.

102 *num.* 64. *&* 65. Adeòque ſi in aliquo loco per quadragenariam quaſi poſſeſſionem inductum ſit, ùt Eccléſia Cathedralis privativè exigat hanc funeralem portionem, illa nullatenùs erit Parocho ſolvenda, tùm ratione conſuetudinis legitimè præſcriptæ, tùm ratione præſumptionis, quod ſibi dicta Eccleſia hujuſmodi Jus reſervaverit, quando aliæ Parochiales fuerunt erectæ in ſignum ſubjectionis, & ſuperioritatis reſpectivè, & ad ſubſtinendum titulum Matricis *Barb. loco citato num.* 22. *Panimoll. dec.* 5. *adnot.* 4. *num.* 7. *& duobus ſeqq. to.* 1. *Rot. deciſ.* 376. *per tot. parte* 1. *recent. & in deciſ.* 2. *num.* 1. *&* 2. *impreſſ. poſt Antonell. de Jur. & oner. Cleric.*

103 Secundò, ſi adſit privilegium ſpeciale Sedis Apoſtolicæ exemptivum à ſolutione dictæ portionis cùm ſpeciali derogatione *Clem. dudum*, ùt ſupra dixi. *Barb. de officio Parochi cap.* 25. *num.* 8.

104 Tertiò, ex relictis Eccleſiæ ad Divini cultus obſequium perpetuum, qui minui non debet, puta pro Eccleſiæ fabrica, veſtibus ſacris comparandis &c. *cap. ult. de teſtam. & Gloſ. mox citata, Panimol. loco cit. num.* 40. *Rot. coram Seraph. deciſ.* 726. *num.* 4.

105 Quartò de armis, & Equis relictis in ſubſidium Terræ Sanctæ nequit detrahi hæc portio *cap. in noſtra hoc tit.*

106 Quintò, quando Eccleſia Parochialis erat interdicta culpa Parochi, vel alterius præter Parochianum defunctum, tùnc enìm non poteſt queri de Parochiano

107 ſi alibi ſepulturam elegerit *Sylv. loco citato caſu* 8. Niſi tamèn eſſet Eccleſia habens Jus ſepeliendi, etiàm

108 tempore interdicti; vel niſi in ipſo interdicto fuiſſet reſervatum Jus ſepeliendi *Federic. de Sen. conſil.* 199. *Sylv. loco citato num.* 8. §. *Septimus Rodriq. queſt. Regular. tom.* 1. *quæſt.* 39. *art.* 3. *Barb. loco cit. num.* 45.

109 Sextò: Quarta cæreorum Confraternitatum funera aſſociantium non debetur Parocho, juxtà decretum Sacræ Congregationis Epiſcoporum, teſte *Gavant. in man. Epiſcop. verb. quarta Epiſcopalis numer.* 13. &

110 *Barb. de offic. Paroch. cap.* 25. *num.* 40. neque de candelis, quas Confratres, vel alii Presbyteri geſtare ſolent præ manibus, vel in aſſociando per vias Cadavere, vel in Eccleſia aſſiſtendo, cæteraſque ſuper illud funeris cæremonias explendo *Gavant. ubi ſupra in addit. num.* 11. *Barb. loco citato num.* 39. & *ſeqq. Caracc. de quarta fun. cap.* 3. *ac Panimoll. dicta deciſ. loco citato num.* 10. & 11.

Septi-

111 Septimò : Eccleſiæ, vel Monaſteria ædificata quadraginta annis antè Concilii Tridentini confirmationem, ſi ſolita non fuerant perſolvere hujuſmodi portionem, neque poſt Concilium cogi poſſunt ad ejus
112 ſolutionem, ſecùs autèm illæ, quæ per quadraginta annos antè confirmationem ſolvebant hanc portionem, juxtà *idem Trident. ſeſſ.* 25. *cap.* 13. *de reform. Barboſ. loco citato num.* 12. *&* 15. *Gavant loco citato, Panimol. loco citato num.* 20. *& duobus ſeqq.*

113 Octavò, non debetur hæc portio in funeribus, ex piorum locorum charitate factis; non enìm æquitas patitur, quod opera charitativa, & ex pia liberalitate prodentia graventur hoc onere, ne tali pacto retrahantur potiùs, quàm alliciantur fideles ad pia, & charitativa hæc opera exercenda, ùt cenſuit *Sac.Congreg. Epiſcoporum* 29. *Novembris* 1683. *relat. à Gavant. loco citato num.* 3. *& Panimoll. dicta deciſ. loco citato num.* 11.

114 Quid autèm dicendum, ſi Teſtator reliquerit aliquid Eccleſiæ Parochiali; an cenſeri debeat id reliquiſſe animo compenſandi portionem funeralem ipſi debitam?

115 Reſpondeo id idem dicendum fore, quod dixi *in prima parte ſub tit. quarto cap.* 5. *num.* 228. *& ſeqq.* de portione Canonica hoc modo relicta Epiſcopo. Si
116 enìm Teſtator dixerit, ùt Parochus deberet eſſe contentus dicto legato, nèc aliud titulo portionis Parochialis petere poſſet, & Parochus acceptaverit dictum legatum, nequit quidquam aliud petere, quià cenſe-
117 tur cuilibet Juri ſuo renunciaſſe. Sin autèm Legatum dicto modo relictum non acceptaverit, vel legatum non fuerit relictum ſub dicta conditione, ſed ſimplicitèr, poteſt ultrà legatum petere Parochus portionem

Digitized by Google

Parochialem, cùm non cenſeatur illud relictum animo compenſandi, eo quià dictæ portionis non ſit debitor teſtator, vel ejus hæres, ſed Eccleſia ſepeliens, ſeù illa ad cujus favorem facta fuerit diſpoſitio pro anima, adeòque deficiant termini neceſſarii ad inducendam compenſationem *text. in cap. officii de teſtam.* ubi *Abb. numero* 4. *Covarr. num.* 3. *Petr. Barboſ. in l. ſi cùm dotem* §. *Si pater num.* 31. *ff. ſol. matrim.* & *Auguſt. Barb. de offic.* & *poteſt. Epiſc. alleg.* 86. *num.* 30. & 31. *ac de offic. Parochi dicto cap.* 25. *num.* 18. & *Panimoll. loco citato num.* 53.

118 Adverte poſtremò, hanc quartam deberi etiam ex relictis Hoſpitalibus, & Confraternitatibus Laicorum, ſi tamèn ſint authoritate Epiſcopi conſtitutæ, juxtà *Lap. in tract. de canonic. portion. num.* 13. & 16. *Petr. de Ubald. loco cit. quæſt.* 14. *à num.* 16. *Leon. in theſaur. for. Eccleſ. part.* 2. *cap.* 14. *num.* 21. & *ſeqq. Mirand. in man. Prælat. tom.* 2. *quæſt.* 48. *art.* 3. *concluſ.* 2. niſi

119 tamèn ſint Hoſpitalia habentia privilegium miniſtrandi Sacramenta Infirmis inibi degentibus; Tùnc enìm ſi ibi decedētes ſepulti fuerint, non debebitur hęc portio Parocho, attentis privilegiis, quibus conceditur hujuſmodi Hoſpitalibus exemptio à ſolutione dictæ portionis *Gratian. diſcept.* 925. *in princ. Rodriquez quæſt. regular. quæſt.* 39. *à num.* 2. *Guttier. de juram. confirm. part.* 2. *cap.* 4. *num.* 3. *Barb. de Jur. Eccleſ. lib.* 3. *cap.* 24. *num.* 7. & *Rota coram Zarat. deciſ.* 45. *per tot.* & *præſertìm num.* 24. & *ſequent.*

TITU-

TITULUS XIX.

De Decimis, Primitiis, & Oblationibus.

1 INTER res Eccleſiaſticas decimæ, primitiæ, & oblationes dubio procul veniunt recenſendæ, cùm Eccleſiæ Miniſtris debitæ ſint, ideò in hac parte, quæ pro objecto *res Eccleſiaſticas* habet, de illis agendum.

2 Primò igitur *de decimis*, & quidèm Eccleſiaſticis tantùm dicemus, quæ, ſi ethymologiam nominis unicè ſpectes, nil aliud ſunt, quàm decima pars, quæ ex fructibus, & aliis rebus perſolvitur *cap* 1. *cap. Parochianos hoc tit.* Hinc *Cicero lib.* 2. *de finibus* agrum decumanum eum vocat, ex quo decima pars Imperatori pendebatur; hinc ſi in Romana aliqua legione plures ejuſdem delicti conſcii fuerant, decima legionis pars ſupplicio afficiebatur, eaque decimari dicebatur, ùt ſic metus ad omnes, pœna ad paucos perveniret; teſte *Tacito lib.* 4. *annal. Livio lib.* 2. *Svetton. in Caligula cap.* 48. *& Tertullian. ad Scapulam.*

3 Sin autèm decimæ Eccleſiaſticæ quidditatem intrinſecam, & metaphyſicam eſſentiam ſciſciteris, definio decimas quod ſint = *Quota fructuum, vel lucri liciti portio Deo debita*, & hanc eſſe definitionem, deduco *ex cap. parochianos cap. tua nobis hoc tit. & Can. decimæ* 16. *quæſt.* 1.

4 Sciendum namque; in ſtatu naturæ Decimas perſolvi

ſolvi conſueviſſe, non ex præcepto, ſed ex voto, nec ex fructibus Terræ tantùm, ſed ex rebus quibuſcumque, neque ſolis Levitis, ſed cui maluiſſet promiſſor, juxtà *Abulenſem in cap.* 23. *Matthæi quæſt.* 136. Et hoc tantùm modo Abraham ſolvit decimas Sacerdoti Melchiſedech; ùt *ex Geneſeos cap.* 14. Ità Jacob vovit Deo, decimas profecturis in Meſopotamiam, ejuſdem *Geneſ. cap.* 18.

5 Accedente poſtea lege Moſaica, ſeù ſcripta, Deus illam populo ſuo tradens juſſit decimam fructuum partem ſibi ſolvi *Levit. cap.* 27. ibi = *Omnes decimæ Terræ, ſive de pomis Arborum, ſive de frugibus Domini ſunt* = *Exodi* 12. ibi = *Omnes decimas tuas non tardabis Deo reddere* = & *Deuteron.* 12. 14. *ac* 26.

6 An verò apud Catholicos, & tempore noſtræ legis gratiæ, decimæ debeantur de Jure Divino, & naturali, vel potiùs poſitivo, & Eccleſiaſtico, Theologi quærunt, & Canoniſtę.

7 Verior tamèn ſententia eſt ſic diſtinguens, quod nempè decimę, qua decimę ſunt, adeòque quatenùs important obligationem dandi Eccleſię Miniſtris decimam partem fructuum, non ſint introductę à Jure Divino, vel naturali, ſed tantùm à Jure poſitivo Eccleſiaſtico, quatenùs verò merè important ſubſtentationem Eccleſię Miniſtris debitam debeantur de Jure naturali, & Divino. Ità *Valenzuel. conſ.* 114. *vol.* 2. *D. Thom.* 2. 2. *quæſt.* 87. *art.* 1. & *quodlibet* 2. *art.* 8. *Sot. de Juſt. & Jur. lib.* 9. *quæſt.* 4. *art.* 1. *Covar. lib.* 1. *var. cap.* 17. *in princ. Valent.* 2. 2. *diſp.* 6. *quæſt.* 5. *part.* 1. *Guttier. lib.* 2. *Canon. quæſtion. cap.* 21. *num.* 8. *Leſſ. de Juſt. & Jur. lib.* 2. *cap.* 39. *dub.* 1. *num.* 6. *Petr. Barb. in l. Titia num.* 35. *ff. ſol. matr. Canitius de decim. cap.* 13. *numero* 3. *Garz. de expenſ. cap.* 9. *à num.* 90.

Digitized by Google

num. 90. *Bellarm. controv. de Cleric. cap.* 25. *Suar. de Relig. lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 7. *& ſeqq. Rebuff. de decim. quæſt.* 1. *à num.* 2. *Navar. de reddit. quæſt.* 1. *num.* 59. *& in man. cap.* 21. *verſ. ex quibus, Vaſquez in opuſc. tit. de Benefic. cap. unic.* §. 1. *dub.* 1. *Auguſt. Barb. lib.* 1. *Jur. Eccleſ. cap.* 6. *num.* 9. *& lib.* 3. *cap.* 26. *nu.* 6.
8 *& alii apud ipſos*. Et quidèm poſterior aſſertionis pars evidens fit, quià Lex naturalis Juſtitię pręcipit ùt ſpiritualia Eccleſię miniſtrantibus, neceſſaria vitę ſubſtentatio, tamquam debitum ſtipendium prębeatur. Idque idem à Jure Divino imperatum habemus, nam *Matt.* 10. dicitur = *Dignus eſt operarius mercede ſua* = 1. *ad Corinth.* 9. = *Quis militat ſuis ſtipendiis unquam?* = *&* *ibidem* = *ſi nos vobis ſpiritualia ſeminavimus, magnum eſt ſi nos carnalia veſtra metamus?* = *& ibidem paritèr* = *Neſcitis quoniam qui in ſacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt edunt, & qui Altari deſerviunt cùm Altari participant, ſic & Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuciaverunt, de Evangelio vivere*.

9 Prima verò aſſertionis pars ex dictis clariſſimè eluceſcit. Primò, quià in lege Naturę decimę nullatenus debebantur, ùt ait *D. Thom.* 2.2. *quæſt.* 87. *art.* 1. *ad* 2. & defacto, ùt ſupra dixi *num.* 4 Jacob promiſit Deo decimas ex voto, ergò non erat obligatus ex pręcepto, ſi ex voto ſe intenderat obligare. Secundò,
10 quià ex dictis *num. præcedente*, recta naturalis ratio ſolùm jubet ſubſtentationem debitam eſſe, Altaris Miniſtris, qui nobis ſpiritualia ſuppeditant; quod autèm hęc ſubſtentatio ſit potiùs per applicationem decimę partis fructuum, quam vigeſimę, trigeſimę &c. non poteſt ullo modo dici imperatum à Jure naturę, cùm ęquè, imò fortaſſe abundantiùs per unam, ac per aliam por-

portionem haberi queat ſufficiens ſubſtentatio; Ergò evidens eſt Jure naturali decimas proùt decimas non
11 deberi. Efficitur ergò, neque illas deberi Jure Divino poſitivo; nàm ea tantùm de Jure Divino ſervare tenemur, quæ nobis à Chriſto Domino pręcepta ſunt, ſed de ſolvendis decimis, nec in Evangelio, nec apud Apoſtolos, ullum extat pręceptum, ergò &c.

12 Rurſus, nàm quę Divini Juris ſuut neque contrario uſu, neque Pontificis privilegio tolli, vel diminui poſſunt *Can. aucta, & duobus ſeqq. 24. quæſt. 1. cap. propoſui de conceſſ. præbend.* & dixi latè *in prima parte tit. 4. cap. 1. num. 27. & pluribus ſeqq.* ſed decimę conſuetudine, & privilegio tolluntur, & minuuntur, ùt infrà demonſtrabo *cap. dilecti, cap. ſuggeſtum, cap. ex parte, & cap. ad audentiam*; ergò &c.

13 Nec obſtat primò Pręceptum divinum obligans Judęos in Lege veteri ad ſolutionem decimarum.

14 Reſpondeo enim, tale pręceptum expiraſſe per Chriſti adventum, utpòtè judiciale, vel merè cęremoniale, & inſtitutum ad recognoſcendum dicto modo altum Dei dominium, illique cultum, & venerationem debitam exhibendam. Vel ſi aliquo modo re-
15 cenſendum foret intèr pręcepta moralia, non aliàs ſanè, quàm eo quià ſubſtentationem Miniſtris Altaris debitam imperabat, quę tamèn ſubſtentatio, cùm non debeatur magìs de Jure naturę per decimam, quàm per trigeſimam, vel aliam fructuum partem, procul dubio. evidens fit neque ſub hac acceptione conſideratum pręceptum de Decimis ſolvendis potuiſſe eſſe totalitèr pręceptum morale.

16 Secundò non obſtant verba Chriſti Phariſęos increpantis *Luc. cap. 11.* his verbis: *Væ vobis ſcribæ, & Phariſæi, qui decimatis mentham, & anethum, & ci-*

ciminum , & relinquitis , quæ graviora ſunt legis , ju-
dicium , & miſericordiam ; hæc oportuit facere , & illa
non omittere .

17 Dico enìm cùm *Toſtato in cap.23. Matth. quæſt.149.*
id Chriſtum aſſeruiſſe non animo conſtituendi obli-
gationem de decimis ſolvendis,ſed tantùm redarguen-
di hypocriſim Judæorum , qui in operibus exteriori-
bus,etiàm minimis , tanta ſedulitate ſanctitatem affe-
ctabant , & in maximis interioribus à vera virtutis
18 ſemita deficiebant ; Ideòque dixit *hæc oportuit facere*,
nempè de præterito , & in lege veteri ; non autèm
oportet facere , quòd requirebatur ad imponendum
præceptum fidelibus ſub nova lege gratiæ viven-
tibus .

19 Et ità tertiò non contrariantur textus in *Can.2. 16.*
quæſt.2. Can.10.16. quæſt.1. Can. nunquam 16. quæſt.4.
Can. 1. 16. quæſt. 7. cap. parochianos , & cap. tuæ hoc
tit. aliique cœteri, qui adduci poſſent dicentes, deci-
marum ſolutionem à Jure Divino eſſe præceptam ;
20 omnibus enim eadem reſponſione facili negocio ſa-
tisfit , aſſerendo nempè cùm *D. Thom. quodlibet 2.*
art. 8. & quodlibet *6.art.*10. *&* 2. 2. *dicta quæſt.* 87.
*art.*1. ex duplici cauſa decimas dici poſſe imperatas à
Jure Divino . Prima , ſi inſpiciatur primæva decima-
rum inſtitutio à Deo facta populo Hebraico , ex quo
exemplo laudabilitèr Eccleſia deduxit ſimile præcep-
tum imponendum fore etiàm fidelibus, adeòque hæc
decimarum ſolutio à præcepto Divino deſcendit ad
21 præceptum Eccleſiaſticum. Secunda,quià ex dd. præ-
bere ſtipendium Eccleſiæ Miniſtris eſt præceptum
Juris naturalis , quòd appellatur etiàm divinum, quià
verſatur circà rem divinam , ùt optimè docet *Covar.*
*lib.*1. *var. cap.*17. adeòque cùm hæc ſubſtentatio Mi-

niſtrorum habeatur per decimas (quamvis potuiſſet haberi etiàm per trigeſimam , vel aliam congruam , & ſufficientem fructuum portionem) in hoc etiàm ſenſu decimæ dici poſſunt debitæ de Jure divino,ſemper tamèn latè , & inadequatè de iis loquendo , non autèm ſtrictè, & adequatè, ùt ſuperiùs ſatis ſuperque demonſtravimus .

22 Rationem autèm cùr decimæ,& non aliæ fructuum partes inſtitutæ fuerint à Deo in veteri Teſtamento , & ab Eccleſia in novo,in ſubſtentationẽ Miniſtrorum Altaris ; adducitur *à D. Thom. dicta quæſt* 87 *art.* 1. *in corpore* ; quià denarius eſt numerus perfectus , & quaſi meta, ac terminus numerorum, ultrà quem non proceditur,ſed fit reiteratio ab uno ad alterum denarium duplicem, vel triplicem &c. debet autèm major qua fieri poteſt elucere perfectio non ſolùm in corde, ac intentione , ſed etiàm in modo extrinſeco , quo Deum veneramur , & ùt ſupremum rerum omnium Dominum , ac moderatorem agnoſcimus , juxtà illud *Pſalm.*23. *Domini eſt terra, & plenitudo ejus* .

23 Jàm verò decimæ duplicis ſpeciei ſunt : Aliæ prædiales , ſeù reales, & aliæ perſonales,per *Gloſ. in cap. ad Apoſtolicæ* verbo *perſonales hoc tit.* Prædiales eæ ſunt , quæ ſolvendæ ſunt ex fructibus prædiorum, & Animalium,ùt ex agris , ſylvis , ædibus locatis , fructibus pecorum, avium, gallinarum, ovium &c. puta
24 caſeo , lacte, ovis &c. Perſonales autèm ſunt , quæ debentur ex fructibus, ſeù lucris humana tantùm induſtria quæſitis, ùt ex negotiatione, opificio, militia, venatione, piſcatione &c. Vide *Tuſch. lit. D.concl.*63. *& ſeqq. & Rotam part.* 3. *diverſ. deciſ.*285.

25 . Rurſus aliæ dicutur decimę prophanæ , quæ olìm temporales Domini prædiis ſubditorum imponere ſolebant

Digitized by Google

lebant, quæque lato calamo recenſentur à *Gonzal.*
26 *in cap. 7. hoc tit. num.* 4. aliæ Eccleſiaſticæ; & ex his aliæ ſunt propriè ac ſtrictè Eccleſiaſticæ, quæ nempè Altaris Miniſtris in eorum ſubſtentationẽ penduntur,
27 aliæ laicales, quæ ab Eccleſia ob juſtam cauſam ſeparatæ à titulo ſpiritualis officii, etiàm laicis conceduntur, quod tamèn in dubio non præſumitur, cùm hæc mutatio, ſeù alienatio ſit quid facti, quod non præſumitur, & quod magìs eſt, cedat in præjudicium Eccleſiæ *Rot. deciſ.* 64. *num.* 6. *part.* 9. *recent.*

28 Multifariam intèr ſe differunt decimæ prædiales, & perſonales. Ac primò quidem, quod decimæ perſonales non ſint ſolvendę niſi à Baptizatis, tùm quia ſolvuntur ratione Sacramentorum, quę nullatenùs Infideles percipere valent; tùm quià ùt dixi, decimarum perſonalium obligatio emanavit à Jure Eccleſiaſtico, quo Infideles non ligantur, juxtà illud Pauli 1. *ad Corinth. cap.* 5. *de his, qui foris ſunt, quid ad nos?* Ex quo infertur etiàm hęreticos, & apoſtatas à Fide, teneri ad decimarum perſonalium ſolutionem, quià per Baptiſmum ingreſſi fuerunt Eccleſiam, adeòque legibus illius obligantur. E con-
29 trà verò ad decimas prędiales ſolvendas tenentur etiam Judęi, & cœteri Infideles in Terris Chriſtianorum prædia poſſidentes *per Text. in cap. de terris, cap. ad audientiam, & cap. ex parte hoc tit.* Ratio eſt,
30 quià decimę reales ſunt onera impoſita ipſis prędiis, adeòque ad quemcumque tranſeunt dicta prædia, tranſeunt cùm onere ſuo, nec eò quià migrent in manus Infidelium, debet Eccleſia privari jure exigendi decimas, quod anteà ſuper illis habebat.

31 Secundò differunt decimę prędiales, & perſonales, quod perſonales illi debeantur Eccleſiæ, à qua ſuſci-

piuntur Sacramenta *cap. ad Apoſtolicæ verſ. noveris hoc tit. & Can. quæſiti ſunt* 16. *quæſt.* 1. prædiales autèm illi Eccleſiæ, in cujus territorio prędia ſunt ſita *cap.* 18. *hoc tit. & cap. fin. de parochiis &c. Ricc. collect.* 2468. *Rota coram Merlin. deciſ.* 434. *per tot. coram Caval. deciſ.* 73. *num.* 1. *deciſ.* 107. *& deciſ.* 344. *per tot. part.* 13. *deciſ.* 382. *part.* 16. *& deciſ.* 208. *part.* 17. *rec.*

32 Differunt tertiò,nàm perſonales debentur de ductis expenſis. Ità *Rot. coram Bich. deciſ.* 322. *& deciſ.* 232. *numer.* 16. *part.* 17. *recentiorum*; prædiales verò, iis non deductis *cap. cùm homines tit. eodem*. Et ratio diſcriminis eſt, quià fructus prędiorum ſunt fructus naturales, qui eo modo accipiuntur, quo naſcuntur, fructus autèm perſonales, & ex induſtria hominis procedentes non habent rationem lucri, & fructus, niſi deductis expenſis.

33 Differunt quartò, nàm decimę prędiales regularitèr, ſolvendę ſunt ſtatìm perceptis fructibus *dicto cap. cùm homines*, itaùt ad horrea Clericorum à Laicis ſint deferendæ *per Gloſ. in Can. revertimini v. horrea* 16. *quæſt.* 1. *& in Canon. decimæ v. horreum* 16. *quæſt.* 7. *Covar. lib.* 1. *var. cap.* 17. *numer.* 8. *Guttier. canonic. quæſt. lib.* 2. *cap.* 21. *numer.* 43. *de Franch. deciſ.* 124.
34 quamvis aliqui DD. & quidèm valdè probabilitèr, aſſerant non ideò peccare mortalitèr laicos, ſi ſtatìm decimas prędiales non ſolvant quando ab Eccleſiaſticis non interpellãtur ad illas ſolvendas,& ità eas ſolvendi vigeat conſuetudo, juxtà *Archid. in cap.* 1. *de decim. in ſexto*, *Cardin. in cap. pervenit hoc tit. Pariſ. conſ.* 15. *vol.* 1. *Sylv. in ſum. verbo decimæ quæſtion.* 9. *& Didacus Perez in leg.* 1. *Taur. tit.* 5. *lib.* 1. *ordin.*
35 *num.* 20. Decimę autèm perſonales ſemper ſolvendę ſunt

Digitized by Google

ſunt in fine anni, juxtà *Gloſ. in dicto Can. revertimini verbo Annus. Abb. in cap. pervenit hoc tit. Rebuff. de decim. quæſt.* 12. *num.* 4.

36 Rogabis autèm primò, ex quibus rebus ſolvendę ſint decimę prędiales.

37 Reſpondeo, ex omnibus fructibus, & proventibus rerum juxtà ſpecies ſuprà enumeratas *num.* 23. Primò
38 quià non eſt major ratio ſolvendi decimas, ex una re, quàm ex alia *cap. non eſt, & cap. nuncios hoc tit. ac Barb. de offic. Paroch. cap.* 28. §. 1. cum omnium ęque Deus ſit Dominus, ad quem recognoſcendum decima
39 ſolvitur. Secundò quià debentur in ſubſtentationem Miniſtris Altaris, qui ęquè una ſpecie fructuum, quàm alia regularitèr indigent. Tertiò, quià Hebręi
40 in Lege veteri decimas ſolvebant ex quolibet eſculento hominis, & de rebus tàm natis ex area, quàm ex torculari, bobus, & ovibus, ac aliis animalibus, quę ſub Paſtoris virga tranſeunt, ùt conſtat *Levit. cap.* 17. *&* 23. non debent autèm Chriſtiani minùs liberales eſſe ergà Chriſtum, quàm fuerint Judęi ergà Levitas ſuos. Ità *Rota deciſ.* 110. *deciſ.* 125. *& deciſ.* 133. *per tot. part.* 11. *deciſ.* 350. *part.* 12. *& deciſ.* 102. *part.* 13.
41 *recent.* Ob quàm rationem Catholici etiàm ex tempore ſolvunt Decimas Deo, proptèr quòd inſtituta fuit Quadrageſima, teſte *D. Gregor. in Can. quadrageſima de conſecr. diſtinct.* 5. = ibi *quià ipſi dies decimæ ſunt Anni*, & rursùs = *per triginta ſex dies affligimur, quaſi anni decimas Deo demus*.

42 Adverte tamèn Decimas ſolvendas eſſe in ſpecie illa, qua res ſolent eſſe juxtà commune hominum commercium, v. g. in grano, non in ſpica, vino, non vvis, oleo, non olivis &c. *Can. quicumque* 19. *quæſt.* 7. *& c. non eſt hoc tit.* & ex fructu Apum ſolvitur decima

in

in cera, & melle *Hoſtien. & Abb. in cap. Nuncios hoc tit.* ſicut paritèr decima ſacchari non eſt ſolvenda ex ipſis cannis, in quibus collectum latet, ſed ex ſaccharo jàm confecto, & è cannis educto, juxtà *Marcheſan. de commiſs. part. 2. cap. 4. numer. 31. & Rota coram Mohedan. deciſ. 68. & 152.*

43 Rursùs etiàm ex palea debetur decima, cùm & illa computetur intèr fructus *l. ab eo §. Cùm quis ff. de acquir. rer. domin.* adeoùt ſi triticum poſt trituram decimetur, & palea ſuperſit, ex illa decima quoque ſit ſolvenda. Ità *Abb. in cap. pervenit. hoc tit. num. 3.*

44 Rogabis ſecundo: An ex fœno, & herba in pratis collecta prædialis decima debeatur.

Reſpondeo affirmativè *per Text. in cap. pervenit, & cap. commiſſum hoc tit.* & dixit *Rota dicta deciſion. 102. part. 13. recent.* Ratio eſt, quià fœnum, & herba prati etiam intèr fructus terræ recenſentur *in l. pratum*

45 *ff. de verb. & rer. ſignif.* dummodò tamèn herba, ac fœnum verè colligatur, & in domum Domini deferatur, nam ſi unicè devoretur, & conſumetur à pecudibus ibi depaſcentibus, nulla debetur decima ex tali herba, vel fœno non recollecto, ſed ejus loco ſubrogatur decima perſolvenda ex fœtibus animalium depaſcentium. Ità *Rebuff. de decim. quæſt. 8. numer. 22. & Oter. de Jur. paſc. cap. 35. num. 7.*

46 Quinimò ſi agri ad culturam redigantur, aut plantentur in illis vineta, itaùt novos fructus pariant, vel ſaltèm aliquos, quando priùs nullos germinabant, decima ex novis fructibus ſolvenda, eſt quæ dicitur *Decima novalium*, quià mutatione rei, vel perſonę jus decimandi non perit *cap. commiſſum hoc titulo, Cæval. 2. part. de cognit. per viam volentiæ quæſtion. 55. à num. 45. Guttier. lib. 1. Canon. quæſt. cap. 21. num. 98.*

Mieres

Mieres de majorat. 2. *parte quæſt.* 10. *num.* 30. *Chrin. deciſ. Belgic.* 106. *per tot. vol.* 1. *& Rota cor. Merlin. dicta deciſ.* 434. hæcque novalia ſunt ſolvenda paritèr Parochiæ in cujus territorio ager eſt ſitus, ſique in nullius Parochialis territorio exiſtat, ad Epiſcopum pertinebunt *cap. quoniam hoc tit. Peregrin. deciſ.* 143. *num.*14. *Rota deciſ.* 303. *& deciſ.* 316. *per tot. part.*11. *deciſ.*216. *& deciſ.*520. *part.*13. *& deciſ.* 493. *part.*14. *recentior.*

47 Rogabis tertiò, quæ decima debeatur ex pecudibus in agro depaſcentibus.

48 Reſpondeo, triplex debetur. Prima ex fœtibus,
lactatis tamèn,& impinguatis, itaùt ſine matre vivere
poſſint, ne ſolutio decimarum ſit inutilis *Oldrad. conſil.*236. *Rebuff. loco citato quæſt. 6. numer.* 30. *& Oter.*
49 *loco cit.num.*12. & ex illis decimus in ordine paſcendi
regularitèr debetur *per Oter. ibidem num.* 11. Quod
50 ſi quis fuerit decimus non appareat, mediocris præ-
ſtandus eſt, juxtà Regulam *Canon. quicumque in princ.*
51 16. *quæſt.* 7. Secunda decima ſolvenda eſt in lana de-
tonſa, itaùt ex ſingulis decem velleribus unum ſolva-
52 tur, juxtà *Oter. ibidem num.*13. §. *de lana*. Tertia debetur ex lacte, itaùt ex decem Pintis unum præſtetur, niſi tamèn de Parochi voluntate ſolvenda ſit in Caſeo, juxtà *Rebuff. loco citato,*& eadem decima ſolvenda eſt ex butiro, juxtà *Oter. loco cit. num.*14. *in fin.*

53 Quod ſi per medietatem anni Animalia pabulentur in una Parochia, per medietatem in alia, decimæ dividendæ ſunt inter eaſdem Parochias *Can. fin.* 1. *quæſtion.* 3. *& Oter. loco citato num.*18.

54 Quid autèm dicendum,ſi animalia in una Parochia paſcua ſumant, in alia accumbant, & ùt ità dicam, habeant domicilium?

Reſpon-

Digitized by Google

55 Reſpondeo, in hoc etiàm caſu inter utramque Parochiam decimas fore dividendas, tametſi major pars ſit Parochiæ, in qua paſcuntur, quià ad ſubſtentationem animalis, & productionem fœtus, non ſolùm paſtus, ſed etiàm cubitus, ac requies requiruntur; ergò Parochia, quæ hunc cubitum præbet, non eſt defraudanda fructu ad ſe ſpectante. Ità *Rebuff. loco citato quæſt.6. num.* 16. *Suar. tom.*1. *de Relig. lib.*1. *de divino cultu cap.* 21. *num.*10.

56 Rogabis quartò, ex quibus rebus debeantur decimæ perſonales.

57 Reſpondeo, ex fructibus, ſeù lucris perceptis ex illis rebus, quæ à noſtra induſtria licitè naſcuntur, ùt negotiatione, artificio, venatione, piſcatione, locatione Domus, militia, advocatione &c. *Zach. de Salar. quæſtion.*45. *per tot. Rot. deciſ.*64. *num.*9. *parte* 9. *deciſ.*350. *parte* 12. *&* *deciſ.* 102. *parte* 13. *rec.* dummodò tamèn tales fructus ſint res mobiles, non immobiles. Hinc ſi Rex aliquis Civitatem bello juſto obtinuerit, non tenetur ex illa ad decimarum ſolutionem, quià Civitas eſt res immobilis *Sylv. in ſumm. verbo decimæ à numer.*10. *Azor. tom.* 1. *Inſtit. Moral. lib.* 7. *cap.*35. *quæſt.* 8.

58 Debent autèm, & ipſæ ſolvi Eccleſiæ Parochiali, in qua quis habet domicilium, & ex qua ſuſcipit Sacramenta *cap. ad Apoſtolicæ hoc tit. cap.*2. *de ſepult. in*
59 *ſexto, & cap. fin. de Parochiis*. Sed hæc procedunt de Jure communi, pleriſque enim in locis decimæ perſonales contraria conſuetudine ſunt abrogatæ, & illi ſtandum eſt, teſtibus *Panormit. in cap. cùm homines hoc tit. num.*5. *in fin. & DD. paſſim*.

60 Rogabis quintò, quomodò aliquis poſſit deobligari à decimis ſolvendis.

Reſpon-

61 Reſpondeo primò; Privilegio ſoliùs Pontificis, qui illud concedendo non derogat Juri Divino, à quo tantùm præcipitur ſubſtentatio præſtanda Miniſtris Altaris, non autèm ſolutio decimarum, ùt ſuprà probavi *Rebuff. quæſt.* 5. *de decim. num.* 32. *Azor. loco citato lib.*7.*cap.*37. *quæſt.*6. §. *His poſitis,* & *DD. communitèr.*

62 Reſpondeo ſecundò; Ex conſuetudine legitima contraria per lapſum ſaltèm quadraginta annorum ſervata, juxtà *Covar. lib.* 1. *var. cap.* 17. *num.* 8. §. 10. puta quià Miniſtri Altaris habeant aliundè in aliquo loco ſufficientem ſubſtentationem *Grat. diſcept.* 595. *per tot. Rota deciſ.* 23. *per tot.* & *deciſ.* 30. *num.* 13. *par.* 6. *ac deciſ.* 201. *num.* 10. & *ſeqq. part.* 13. *rec.* Ratio eſt, quià ſolum de Jure Divino debetur Clericis ſubſtentatio, decimæ autèm debentur illis jure tantùm poſitivo Eccleſiaſtico; ergò poteſt dari legitima conſuetudo oppoſita, quæ deroget huic Juri. Ità *Covar. loco citato nu.* 8. & *Guttier. Canon. quæſt. lib.*2. *cap.*20. *num.* 29. Requiritur tamèn ad effectum acquirendi quaſi poſſeſſionem à libertate ſolutionis decimarum ſcientia, & acquieſcentia Eccleſiæ, cui non poteſt ex negligentia Prælati præjudicari *Rot. deciſ.* 302. *nu.* 22. & *ſeqq. part.* 9. *deciſ.* 22. *num.* 14. *part.* 10. *deciſ.* 242. *num.* 8. *part.* 11. *rec.*

63 Reſpondeo tertiò; Etiam præſcriptione legitima poteſt quis eximi à debito decimarum; Tempus autèm in hac materia requiſitum ad præſcribendum ſunt quadraginta anni cum titulo, vel immemoriale ſine titulo, excedens nempè memoriam hominum *cap. auditis de præſcript. cap.* 3. *de conſuetud. in ſexto, Covar. loco citato num.* 8. & 10. *Guttier. loco cit. cap.* 21. *n.*65.

64 & *DD. mox allati*. Ratio autèm cùr tempus immemoriale requiratur, quando titulus non oſtenditur eſt,

 quià

quia Jus ſemper reſiſtit tali præſcriptioni *cap.* 1. *de præſcript. in ſexto*, & conſequentèr ſemper præſumitur mala fides, niſi ſit tranſactum tempus immemoriale, ratione cujus præſumitur Anteceſſores præſcribentium, vel aliquo privilegio, vel alio juſto modo hanc obligationem redemiſſe.

65 Reſpondeo quartò. Compoſitione etiàm, tranſactione, vel alio hujuſmodi pacto poteſt minui, transferri, vel tolli debitum decimarum *Ricc. collect.* 2391. *&* 2992. *Rot. coram Caval. deciſ.* 95. *in fine*; dummodò tamèn hujuſmodi pactis accedat authoritas Romani Pontificis, ſi pactum fieri debeat intèr Clericos, & Laicos *Vivi. commun. opin.* 153. *& Triviſan. deciſ.* 29.

66 *per tot.* Quod ſi faciendum ſit intèr unam, & aliam Eccleſiam, ſufficit Epiſcopi authoritas. Ità *Text. in cap. ex multiplici hoc tit. Rebuff. loco citato quæſt.* 13. *nu.* 16. *& ſeqq.*

67 Rogabis ſextò, nùm Laici ſint capaces Juris percipiendi decimas.

68 Dico primò. Jus decimarum quatenùs eſt ſpirituale, & fundatum in titulo ſpiritualis officii, Laicis concedi non poteſt *Text. in Can.* 1. 16. *quæſt.* 7. *cap. ad hæc, & cap. quamvis, ibique Gloſ. verbo conceſſerit hoc tit.*

69 *ac D. Thom.* 2. 2. *quæſt.* 87. *art.* 3. *in corp.* Neque ex privilegio Romani Pontificis, quià nequit Papa concedere Laicis ſpiritualia, ſaltèm pendentia neceſſariò ab exercitio alicujus ordinis ſuſcepti, ergò nequit Laicis concedere decimas in titulum ſpiritualem, cùm ità percipi nequeant niſi ratione alicujus officii Sacri, & Eccleſiaſtici, quod Laicus per ſe exercere non poteſt, puta adminiſtrandi Sacramenta &c. Ità *Suar. lib.* 1. *de Relig. cap.* 25. *num.* 5.

70 Dico ſecundò. Poteſt concedi Laicis Jus decimarum,

rum, quatenùs conſideratur, ùt abſtractum à titulo ſpirituali, & eſt merum Jus temporale percipiendi decimam partem fructuum. Ratio eſt, quià decimæ ità ſpectatæ, ſunt merè temporales, adeòque à Laicis acquiſibiles *Gloſ. cit. in dicto cap. quamvis, & Suar. loco cit. num.9. & 71.* Ità Summi Pontifices Catholicis Hiſpaniarum Regibus hoc Jus conceſſerunt in compenſationem plurium meritorum ergà Eccleſiam, & præcipuè ratione juſti Belli ab iis peracti adversùs Saracænos *Cancer. var. reſol. cap. 23. num. 2. Fontanell. de pact. nupt. clauſ. 4. Gloſ. 19. num. 4. circa finem, Rot. coram Martin. Andr. deciſ. 45. num. 9. & 10. coram Carill. dec. 97. num. 25. & in Toletana decimarum de Capilla 9. Junii 1692. §. Accedente coram bon. mem. Benincaſa.*

71 Advertendum tamèn, poſt decretum Concilii Lateranenſis ſub Alexandro III. celebrati Anno 1179. circitèr, & relati *in cap. prohibemus hoc tit.* nonniſi Summum Pontificem poſſe alienare Decimas in Laicos ultrà vitam illius ad cujus favorem primò alie-
72 nantur; idque ad reprimendum Prelatorum inferiorum abuſum, qui decimas hujuſmodi ſolebant laicis concedere in feudum perpetuum, & ità irrogabant præjudicium Eccleſiæ; adeòque poſt Concilium debet probari fama, ſeù communis opinio privilegii Apoſtolici una cùm immemorabili, quod dictæ decimæ fuerint ſuis majoribus conceſſæ ante Concilium Lateranenſe. *Menoch. lib. 6. præſumpt. 86. per tot. Rot. deciſ. 123. num. 12. & ſeqq. & deciſ. 234. per tot. part. 9. & deciſ. 158. per tot. part. 10. rec.*

73 Imò conceſſa etiàm à Pontifice facultate Laico decimas percipiendi, non intelligitur data poteſtas illas percipiendi, niſi ex prædiis quę exiſtunt tempore Datę

privilegii, non autèm etiàm ex iis, quæ de novo fient vel excolentur, & conſequentèr non intelligitur conceſſa facultas percipiendi novalia *Text. in cap. tua* §. *Nec occaſione hoc tit.* Ratio eſt, quià hęc conceſſio decimarum in Laicos eſt odioſa, adeòque reſtringenda *Gloſ. fin. in dicto cap.*

74 Advertendum poſtremò, quod decimas integrè non ſolventes, aùt ſubtrahentes, vel impedientes ne ſolventur, ſubjaceant excommunicationi, nec ab ea abſolvantur, niſi plena reſtitutione ſecuta, juxtà *Trid. ſeſſ.* 25. *cap.* 12. *de reform.* & ulteriùs ſacrilegii reatum incurrant *Rota deciſ.* 142. *part.* 8. *deciſ.* 448. *in ap-*
75 *pend. parte* 9. *& deciſ.* 12. *parte* 11. *rec.* Dummodò tamèn non ſint impotentes ad illas ſolvendas, tùnc enìm ſi jurent ſe fore ſoluturos, cùm primùm poterunt abſolvendi ſunt, juxtà *Sanch. in decal. lib.* 2. *cap.* 20. *numer.* 19. *Bonac. de quinto Eccleſ. præcepto diſp. ult.*
76 *quæſt.* 5. *punt.* 7. Non enìm pręſumitur Concilium ei velle denegare abſolutionem, qui non eſt in culpa, ſi non reſtituat.

CAPITULUM UNICUM.

De Primitiis, & Oblationibus.

77 PRIMITIÆ Ethnicis etiàm futilibus eorum Diis dicare ſolemne fuit, juxtà *illud Ovidii lib.* 2. *faſt.*

Farra tamèn Veteres jaciebant, Farra metebant,
Primitias Cereris farra referta dabant.

78 Apud Hebręos autèm ter in anno primitias offerre Deo moris fuit. Primò in Paſchate de novis ſpicis, ex *Levit.* 2. *&* 23. Secundò in Pentecoſte de novis Pani-

Panibus *Levit. d. cap.* 23. Ac tertiò Septembri in foro Tabernaculorum de novis fructibus *Deuteron.cap.* 16.

79 Ex conſuetudine tamèn minor modò, & modò major primitiarum quantitas ſolvebatur, itaùt liberaliores ergà Deum Judæi illas ſolvere in uſu haberent in quadrageſima fructuum parte, ſtrictiores verò in ſexageſima, juxtà *Abulenſ. in cap.* 18. *Numer. quæſt.* 14. *Maldonat. in cap.* 45. *Ezech. Menoch. de Repub. Hebræor. lib.* 2. *cap.* 16.

80 Eaſdem ergò primitias in lege Evangelica Deo fore offerendas juſſerunt Summi Pontifices *in Can. Eccleſia* 13. *quæſt.*2. *Can. decimas, & Can. revertimini* 16. *quæſt.* 1. *ac in Can. decimas* 16. *quæſt.* 7.

81 Patet ergò Primitias differre à Decimis in hoc, quod illæ ſint primi fructus, decimæ verò pars decima
82 fructuum omnium. Secundò, quod Primitiæ offerantur Deo in gratiarum actionem pro Terræ frugibus recollectis, decimæ autèm proximè Sacerdotibus dentur in ſubſtentationem, & ſtipendium pro Miniſterio, quo Templo inſerviunt.

83 Patet ulteriùs primitias, qua primitias, non ſecùs ac decimas, qua decimas à Jure Eccleſiaſtico fuiſſe introductas, ideòque oppoſita conſuetudine poſſe abrogari Legem ad illas ſolvendas obligantem, cùm innumeris aliis modis poſſit Deo præſtari honor, debitumque grati animi monumentum, ac obſequium. Ità *Innoc. & alii in cap.* 1. *de decim. Sylv. in ſumm. verb. decimæ quæſt.* 1. *circà fin. Suar. de Relig. lib.* 1. *tract.*2.
84 *cap.* 8. *num.*16. Et de facto in omni ferè Regione hóc Jus primitiarum fuiſſe abolitum teſtantur *Leſſ. de Juſt. & Jur. lib.* 2. *cap.* 39. *dub.* 6. *num.*31. *ac Azor.part.*1. *lib.* 7. *cap.* 27. *quæſt.* 6.

85 Cæterum ſpectato Jure communi Primitię ſolven-

dę

dę forent illi Parochię, in qua Prędia exiſtunt, quià ſunt onera realia prędiorum. Ità *Barb. de offic. Paroch. cap. 27. num. 8. & 9.*

86 Deveniendo tandèm ad *Oblationes*, dico Oblationem eſſe *donationem bonorum temporalium factam Deo vel Eccleſiæ*; *Can. qui oblationes, & Can. Clerici 13. quæſt. 2.*

87 Pręceptę fuerunt Oblationes à Lege veteri juxtà illud *Exod. 23* = *Non apparebis in conſpectu meo vacuus* = *& ſexto Numer. Dixitque Dominus ad Moyſen. Singuli Duces per ſingulos Dies offerant munera in dedicationem Altaris.*

88 In lege autèm gratię nullum ſtat pręceptum offerendi, juxtà *illud Pſalm.* = *Voluntariè ſacrificabo tibi*. Ità *D.Thom. 2. 2. quæſt. 86. art. 7. & ibi Cajet. D. Antonin. parte 3. tit. 12. Abb. & Anchar. in rubric. de Parochis. Azor. part. 1. Inſtit. moral. lib. 7. cap. 7. quæſt. 11. & cap. 38. quæſt. 11. Suar. tom. 1. de relig. tract. 2. lib. 1. cap. 5. num. 2.*

89 Nec obſtant *Textus in Can. antiquos 10. quæſt. 1. Can. præter hoc, & Can. omnis Chriſtianus de conſecrat. diſt. 1.*

90 Nàm dd. textus locum habent, quando ex alio capite oblationes ſunt debitę, vel ratione promiſſionis aùt legati Eccleſię facti, vel ratione indigentię Eccleſię aùt Miniſtrorum debita ſubſtentatione carentium, vel ratione conſuetudinis, ſeù pręſcriptionis legitimè introductę, *per text. in cap. ad Apoſtolicam de ſimon.* Ità *DD. ſuperiùs relati.*

91 Ab aliquibus tamèn perſonis oblationes recipi nequeunt, & primò quidèm à rebus alienis, ne ullus Clericorum alieni furti fiat particeps *cap. ſuper ea de*
92 *raptoribus, & cap. quià in omnibus de uſur.* ubi prohiben-

hibentur accipi oblationes ab uſurariis manifeſtis, quià dd. res oblatæ ab illis, res alienæ cenſentur; latè *Theſaur. de pœn. Eccleſ. part.* 2. *verb. oblationes*.

93 Secundò, non poſſunt accipi oblationes à non baptizatis, puta Judæis &c. neque ab excommunicatis

94 vitandis, *per Can.* 37. *Conc. Laodicen.* Sicuti nequè à peccatoribus publicis, puta meretricibus; ne ingeratur ſcandalum fidelibus, fortaſſe putantibus Eccleſiam cùm tali peccatore diſſimulare ob ejus liberalem oblationem *Azor. loco citato cap.* 38. *quæſt.* 17. *&* *Suar. loco citato cap.* 6. *num.* 9.

95 Tertiò, nequeunt accipi à fratribus diſſidentibus, vel ab oppreſſoribus pauperum *Can. oblationis diſt.* 99.

96 Quartò, ab hominibus, qui violentèr criminoſos ab Eccleſia extrahunt *Can. miror* 17. *quæſt.* 4. nec à raptoribus *cap. ſuper de raptoribus*.

97 Quintò, Matricidæ per ſeptem annos ab oblationibus abſtinere coguntur *Can. latorem* 33. *quæſt.* 2.

98 Sextò, qui ex induſtria ſe rebaptizari ſinunt, prohibentur per biennium oblationes offerre *Can. eos quos de conſecr. diſt.* 4.

99 Perſonæ tamèn recenſitæ *à num.* 93. *& ſeqq.* prohibèntur offerre tantùm oblationes voluntarias, quæ in Eccleſia Latina Sacris Altaribus apponebantur; in Græca verò antequàm ad Altare deferrentur ponebantur in tabula minore, quam appellabant *propoſitionum*, prout teſtatur *Gonzalez. Tellez. in cap. cauſa*

100 *de verb. ſignif. ſub num.* 2 *poſt med.* Non vetantur tamèn offerri à perſonis ùt ſuprà exceptis, & recenſitis oblationes alias Eccleſiis debitæ, dummodò extrà Miſ-

101 ſam offerantur, niſi tamèn ſint debitæ ratione conſuetudinis, quià conſuetudo non eſt introducta, niſi de oblationibus dandis ad Altare *cap. quanto de uſur. &*

Caſtropal.

Caſtropal. parte 2. oper. moral. diſput. unic. de decim. punct. 18. in fine.

102 Conſtat igitùr ex dictis, oblationem differre à decimis, & primitiis, quià illis latiùs patet cùm quælibet decimæ, & primitiæ ſint oblationes, non autèm è contrà. Verbo Oblatio ab illis differt, ùt genus à ſpecie.

103 Oblationes autèm hujuſmodi ad Sacerdotes vel Miniſtros Eccleſiæ pertinent, ùt illas partìm erogent in propriam ſubſtentationem, partìm in cultum Divinum, & pauperum eleemoſynam, juxtà illud Apoſtoli, quod in hoc propoſito affert *D. Thom. loc. cit. art.* 10. *in corp. = Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus pro hominibus conſtituitur in iis, quæ ſunt ad Deum, ùt*
104 *offerat dona, & Sacrificia pro peccatis*. Sacerdos enim oblationes hujuſmodi benedicebat, & offerebat Deo, ac inſuper recitabat nomina tàm vivorum, quàm mortuorum offerentium, aùt pro quibus fiebant oblationes, juxtà *Gonzal. Tellez. loco citato circà fin.*

105 Adverte tamèn, quod oblationes factæ alicui Capellæ in aliqua Eccleſia ſitæ, non Capellano, ſed Eccleſię Rectori acquirantur *Felin. in cap. dilectus n.* 1. *de of-*
106 *fic. Jud. ordin.* Niſi appareat fuiſſe relictas intuitu ipſius Capellæ, non Eccleſiæ *Ricc. in prax. part.* 4. *reſol.* 296.
107 *num.* 2. Sic etiàm oblationes factę in Capella, vel Oratorio ſito intrà fines Parochię alicujus, non Oratorio, ſed ipſi Parochialis Eccleſię adjudicari debent, *Decian. conſ.* 16. *num.* 8. *lib.* 2. *Ferret. conſ.* 143. *num.* 4. *Borgnin. deciſ.* 16. *num.* 71. *part.* 2. *Theſaur. dec.* 99. *num.* 2. *Guttier. Can. quæſt. lib.* 2. *cap.* 21. *num.* 139. *Leo in Theſaur. for. Eccleſ. part.* 2. *cap.* 28. *num.* 19. *&* 31. *Rebuff. de decim. quæſt.* 2. *num.* 29. *Rot. deciſ.* 156. *part.* 1. *rec.*

108 Idemque dicas de oblationibus factis Sacris Imaginibus

ginibus depictis in pariete alicujus Domus privatæ ; quæ paritèr Eccleſię Parochiali quęruntur intrà cujus
109 fines ſitus eſt paries;niſi tamèn offerens obtuliſſet contemplatione Domini Domus, puta quià hic eſſet pauper &c. Ità *Barb. de offic. Paroch. cap.*24. *num.*26. qui *num.* 23. aſſerit generalitèr oblationes factas Altari
110 præſumi factas intuitu Eccleſiæ. Vel niſi oblatæ fuiſſent alicui celebri Imagini, & miraculis coruſcanti, tunc enim præſumerentur deſtinatæ ad fabricam, ſeù ornamentum Imaginis dictæ *Card. de Luc. in Miſcell. Eccleſia diſc.*35. *num.* 7. *Romaguer. in addit. ad Conciol. ſtat. Eugub. lib.* 1. *rub.* 8. *numer.* 7. *&* *Torr. de pact. futur. ſucceſ. lib.*3. *cap.*1. *num.*243.

TITULUS ULTIMUS.

De Rebus Eccleſiæ alienandis, vel non.

1 ADEPTA notitia rerum Eccleſiaſticarum, contractus, alienationeſque, quæ circà eas celebrari poſſunt, vel non, reſtant unicè inſpiciendi, ùt iis inſpectis ſupremam huic ſecundæ Inſtitutionum Canonicarum parti manum imponamus.

2. Præmitto igitur primò,alienationem poſſe ſumi ſtrictè, & latè ſtrictè ſumpta ea tantùm eſt, qua dominium plenum alicujus rei in alium transfertur,ùt venditio, donatio, permutatio &c. ùt patet ex *l. alienum in princ. ff. de verb. & rer. ſignif. l.*1. *C. de fund. dotal.*

Digitized by Google

& l.1.C. de Jur.emphyt. Latè autèm accepta ea eſt, per quàm, vel dominium utile tantùm, vel aliud quodlibet jus in re in alium transfertur, ſub cujus alienationis nomine venit ſervitus quælibet ſuper re impoſita, vel hypotheca ſaltèm ſpecialis. Vide *Text. in l. fin. C. de reb. alien. Barb. de appell. verb. ſignific. appellat.* 14. *per tot. & Tuſch. lit. A concluſ.* 257. *per. tot.*

3 Præmitto ſecundò, juxtà *Gonzal. Tell. in cap.* 1. *de iis quæ fiunt à Prælato &c. numer.* 5. primam mentionem alienationis prohibitæ rerum Eccleſiaſticarum (ſaltèm alienationis ſtrictè ſumptæ) habitam fuiſſe in Concilio Valentino celebrato Valentiæ ſub Damaſo Papa Anno Domini 474. *teſte Baron. eod. anno tom.* 4. *Annal. num.* 12. qui præfati Concilii Canon refertur *in cap.* 1. *cit.*

4 His præmiſſis aſſero primò. Res Eccleſiæ prohibentur alienari alienationis vocabulo latiſſimè ſumpto, *cap. nulli hoc tit. l. Jubemus C. de ſacroſ. Eccleſ. & Auth. hoc Jus porrectum C. eodem*, & aliis ſparſim in locis. Primò ob utilitatem Eccleſiæ, ùt ejus bona integra ſerventur in Miniſtrorum alimoniam, & ædificiorum ſacrorum inſtaurationem; nàm, proùt ait *Text. in l. Jubem. C. de Sacroſ. Eccel.* repetita *in Can.* 2. 20. *quæſt.* 2. = *Ut ſicut ipſa* (intellige Eccleſiam) *Religionis, & Fidei mater perpetua eſt, ità ejus patrimonium jugitèr ſervetur illæſum.* Secundò, quià ùt dicitur *in Can. quiſquis* 12. *quæſt.* 2. non decet, ùt Prælatus diſpergat, quæ non collegit, cùm ſit diſpenſator, non dominus bonorum Eccleſiaſticorum. Et ſicut Tutores, vel Curatores non poſſunt bona pupillorum, vel minorum pro libito diſtrahere abſque debitis ſolemnitatibus, ità nec Prælatus Eccleſię, qui pro Tutore habetur, Eccleſiæ bona. Valet autèm argumentum à minore ad Eccle-

ſiam

ſiam *per Text. in cap. auditis de in integr. reſtitut.*

5 Amplia primò, ſub nomine Eccleſiarum hìc venire quælibet loca pia authoritate Epiſcopi conſtituta, ùt Xenodochium &c. juxtà *Text. in Auth. hoc Jus porrectum C. de Sacroſ. Eccleſ. Canon.*2. 10. *quæſt.*2. *& cap. nulli hoc tit. ibique Abb. numer. ult. & del Bene de Immunit. Eccleſ. part.*2.*dub.*1. *cap.*17. *num.* 14.

6 Amplia ſecundò, nomine alienationis vetitæ circà res Eccleſiaſticas intelligi prohibitam etiàm transactionem, qui res Eccleſiæ in alium transferatur, juxtà *Quarant. in ſumm Bullar. verb. alienatio rerum Eccleſiæ num.* 19. §. 5. *& num.* 39. §. 12. *& Rebuff. in compend. alienat. num.*21. *& Barboſ. de poteſt. Epiſc. alleg.*

7 95. *num.* 63. Item etiàm ceſſionem litis motę ſuper re Eccleſiæ alienari prohibita, ne indirectè alienetur, quod directè alienari non poteſt *Quarant. loco citato num.*22. *Armilla verb. alienatio num.*16. *& latè Olca de ceſſ. Jur. tit.*2. *quæſt.* 1.

8 Amplia tertiò, ùt neque hypotheca ſpecialis poſſit contrahi ſuper bonis Eccleſiæ, juxtà *Text. in cap. nulli*

9 *cit.* juxtà quem arguendo à contrario patet, permitti hypothecam generalem ſuper bonis prædictis, & ità declaratum fuiſſe à Sacra Congregatione Concilii teſtatur *Fagnan. in dicto cap. nulli num.* 32. *& Rota deciſ.* 196. *num.* 22. *& ſeq. part.* 12. *& deciſ.*439. *nu.*4. *part.* 14. *rec.* Quod maximè nùnc temporis verum eſt, quo cùm contractibus omnibus ſoleat apponi generalis hypotheca, nullus reperiretur, qui cùm Eccleſia vellet contrahere, ſi ſemper deberet adiri Epiſcopus pro obtinenda licentia apponendæ hypothecæ generalis in quolibet contractu.

10 Amplia quartò, ùt poſt famigeratam *Extravag. ambitioſæ hoc tit.* ultrà triennium bona Eccleſiæ locari

11 non poſſint. Hoc tamèn triennium computandum eſt
ex tribus fructuum collectionibus,adeòque ſi res ali-
qua Eccleſię non pareret fructus, niſi quolibet trien-
nio, tùnc triennium computaretur pro uno anno tan-
tum , & per conſequens dicta res locari poſſet uſquè
ad novennium, Ità *Covar. var. reſol. lib.2. cap.16. nu-
mer.6. Mantic. de tacit. tom.1. lib. 5. tit.3. nu.22.*

12 Jàm verò ampliatam hactenùs aſſertionem limita
primò non procedere, ſi alienatio fiat ex cauſa neceſ-
ſitatis, puta pro extinguendis debitis Eccleſię *Canon.*
13 *hoc Jus* 10. *quæſt.*2. vel utilitatis,ùt quià alienetur una
res pro alia meliore comparanda *Canon. ſine exception.*
12 *quæſt.* 2. *Gratian. diſcept.* 838. *numer.* 21. *Ciarlin.
cap.* 105. *per tot. Dian. reſol. moral. part.* 1. *tract.* 8.
*reſol.*77. *Magon. deciſ. Florentin.*69. aut quià res alie-
nata ſit veriùs damnoſa , quàm proficua Eccleſiæ ,
veluti cùm alienantur Terrulæ, vel Vineolę incultæ,
aut longè ſitæ *Canon. Terrulas* 12. *quæſt.*2. *Gratian di-
ſcept.*452. *num.*2. *Capyc. deciſ.*105. *Guidopap. deciſ.*156.
14 *&* 158. Vel ex cauſa æquitatis *Magon. deciſ. Floren-
tin.*64. *num.*41. ut ſi bona Eccleſię concedantur ei qui
illa ad culturam, & meliorem frugem reduxit *cap. ad
aures hoc tit.* aut ſi manumittatur ſervus Eccleſiæ be-
nemeritus *Canon. ſi quos de ſervis* 12. *quæſt.* 2. Vel ex
15 cauſa pietatis v. g. pro redimendis captivis *Can. Sa-
crorum, Can. aurum, & Canon. gloria* 12. *quæſt.*1. Vel
16 ex capite damni vitandi , ùt mobilia quæ ſervando
ſervari non poſſunt, puta frumentum, Vinum &c. So-
17 lùm enim res immobiles, vel mobiles pretioſæ,& quæ
ſervando ſervari poſſunt cadunt ſub hac prohibitione
alienationis; juxtà *cit. Extrav. ambitioſæ , & Innoc. in
cap. nulli hoc tit. in princ. Hoſtienſ. ibid. num.* 1. *circà
finem , & ſcribentes communitèr* .

Aſſero

18 Aſſero igitùr ſecundò: Ad alienationem validam rei immobilis, vel mobilis pretioſæ Eccleſiaſticæ requiritur una ex cauſis ſuprà recenſitis, & ſolemnitates;
19 quæ ſtant primò in præcedente tractatu collegialitèr à Capitularibus facto de alienatione facienda ob utilitatem, vel neceſſitatem Eccleſiæ, juxtà *Can. ſine ex-*
20 *ceptione* 12. *quæſt.*2. qui tractatus præſumitur præceſſiſſe, ſi de eo teſtetur Notarius in Inſtrumento alienationis, juxtà *Maſcard. de probat. vol.* 1. *concluſ.* 75.
21 *num.*11.*&* *vol.*3. *concluſ.*1315.*num.*10.*&* 11.Secundò, requiritur conſenſus Capituli, quoad majorem partem
22 tùnc præſentium *dicto Canon. ſine*, de quo ſufficit paritèr ſi Notarius teſtetur *Abb. in cap. quanto nu.*2. *de his quæ fiunt à Prælat. &c. & in cap. intèr dilectos num.* 8.
23 *de donat. ibique Imol. num.* 6. Tertiò, requiritur ſubſcriptio Capitularium; quam tamèn pluribus in locis non ſervari dicit *Abb. in cap.* 1. *de his quæ fiunt &c.*
24 *num.* 4. Imò ſatis eſſe ſi de ea teſtetur Notarius in In-
25 ſtrumento, vel merè illi ſubſcribat. Ultimò autèm requiritur per *Extrav. ambitioſæ hoc tit.* Beneplacitum Apoſtolicum. Vide *Urceol. conſult. forenſ. cap.*47. *numer.* 28. *& ſeqq. Gratian. diſcept.* 452. *num.*9. *& ſeqq. Pract. Pap. in libell. act. real Gloſ. veris*, *& legitimis num.* 48. *Capyc. deciſ.* 16. *in princ. Guidopap. deciſ.*149. *Rot. deciſ.* 275. *per tot. part.* 10. *rec.*

26 Intellige tamèn primò, non requiri Beneplacitum Apoſtolicum ad emphyteuticanda bona Eccleſiæ, ſi
27 tria copulativè concurrant. Primò, quod ab antiquo ſoleant dari in emphyteuſim ſaltèm ſcilicet per quadraginta annos *Altograd. conſ.*23. *num.* 48. *lib.*1. *Gratian. diſcept.* 913. *numer.* 33. *&* 34. *Mantic. de tacit. lib.*22. *tit.* 19. *num.* 33. *& Rot. coram Bich. deciſ.* 483.
28 *num.* 52. Secundò, quod adſit evidens Eccleſiæ utilitas

litas de tempore contractus *Gratian. diſcept.* 520. *numer.*21. *&* 32. *Menoch. de arbitr. caſ.*172. *nu.*21. *Sperell. deciſ.*154. *nu.*34. *&* 96. *Rot. part.*2. *diverſ. deciſ.*65. 78. *&* 160. *per tot. coram Seraph. deciſ.* 367. *& deciſ.* 1125. *num.*5. *& coram Caval. deciſ.*288. *&* 439. *per tot.*

29 Et tertiò, quòd ſit de caſibus à Jure permiſſis; eſtò enim bona Eccleſiæ ſolerent dari in emphyteuſim, ſi poſteà à Prælato fuerint Menſæ Eccleſiæ incorporata, non permittitur impoſterum emphyteuticari, juxtà *Fagnan. in cap. ex parte num.* 8. *de feud.*

30 Eodem modo, quo dixi emphyteuticari poſſe bona Eccleſiæ abſque Beneplacito Apoſtolico, dicas ſine illo paritèr poſſe infeudari, ſi ab antiquo ſolita erant dari in feudum, per *Text. in cap. ex part. de feud. ibique DD. dicta Extrav. Ambitioſæ Jaſon conſ.* 155. *lib.*2. *Gonzal. reg.*8. *Cancell. Gloſ.*6. *num.*194. *Barboſ. de poteſt. Epiſcop. parte* 3. *alleg.* 95. *num.* 29. *Menoch. de arbitr. caſu* 81. *numer.* 5. *& ſeqq. Covar.* 2. *var. cap.* 17. *num.* 4. *Clar. §. Emphyteuſis quæſt.* 6. *num.* 1. *& §. Feudum quæſt.* 13. *numer.* 1. *Genuenſ. in prax. cap.* 60. *numer.* 5. *&* 6. *Quaranta dicto verb. alienatio num.* 39. *& ſeqq.* Contractus enìm emphyteuticus, & feudalis pari paſſu procedunt, cùm ejuſdem naturæ ſint; ideòque *Extrav. ambitioſæ* loquens de bonis emphyteuticis, militat etiàm in feudalibus, non per viam extenſionis, ſed comprehenſionis.

31 Intellige ſecundò, non requiri Beneplacitum Apoſtolicum in rebus mobilibus, quæ ſervando ſervari

32 non poſſunt; tales autèm dicuntur illæ, quę triennio non durant, aut uſu conſumuntur, nec fructificant, juxtà *Redoan. de rebus Eccleſ. non alien. quæſtion.* 6. *num.* 29.

33 Intellige tertiò, neque illud requiri in Terrulis, & Vineo-

Vineolis, quæ juxtà *Text. in Can. terrulas* 12. *quæſt.*2. alienari poſſunt cùm ſolius Epiſcopi conſenſu, dummo-
34 dò tria copulativè concurrant; Quod res alienatę ſint exigui valoris; parum Eccleſię utiles; & adſit neceſſitas alienandi, ùt colligitur ex contextu laudati Canonis, & aſſerunt *Redoan. loco citato quæſt.* 13. *num.* 19. *&* *Rota coram Seraph. deciſ.* 401. *num.* 3.

35 Quando autèm dicantur exigui valoris, quamvis *Canon. Terrulas* dicat exiguas dici non exceden tes valorem viginti ſolidorum *Fagnan.* tamèn *in cap. nulli*
36 *hoc tit. numer.* 26. *in fine* teſtatur juxtà declarationes Congregationis Concilii hoc remittendum fore arbitrio Judicis, qui attenta qualitate temporis, locorum, & rerum hoc debeat definire, ejuſdemque ſententiæ eſt *Abb. in cap.* 1. *num.* 6. *de reſtit. in integr. Gratian. diſcept.* 452. *per tòt.* & *Menoch. de arbitr. caſu* 149. *num.* 40.

37 Et ultimò, ſi alienatio ſit neceſſaria, ùt quià Jus aliquod illam fieri præcipiat, etiàm ſolemnitate quavis deſtituta ſubſtinetur, & valet; quòd *Fagnan. loco citato num.* 27. ex declartione præfatæ Sac. Congregationis, exemplificat in legato immobilium facto Fratribus Minoribus, qui ex Regulæ præſcripto coguntur res legatas vendere, & pretium retractum convertere in uſum fabricæ, vel Sacriſtiæ.

38 Aſſero tertiò. Pœnæ ſtatutæ in *Extrav. Ambitioſæ* contrà alienationem illegitimam rei Eccleſiaſticæ, ſunt prima, nullitas contractus; quem tamèn, ſi velit Eccleſia, & ipſi utilis ſit, approbare poteſt, ac ratificare; juxtà *Aret. conſ.* 77. *num.* 6. *Menoch. de arbitr. caſ.* 172. *numer.* 39. *Fulgin. de Jur. emphyt. tit. contr. emphyt. quæſt.* 21. *per tot. Pic. ad ſtat. Urb. Gloſ.* 7. *Rot. parte* 2. *diverſ. deciſ.* 132. *num.* 11. & 12. *&* *deciſ.* 225. *num.* 4.

num.4. part.3. lib.2. coram Seraphin. deciſ.256. num. 2. coram Duran. deciſ. 397. *num.* 11. & 29. & *deciſ.* 468.
39 *num.*1. *parte* 14. *recent.* Secunda pœna eſt, excommunicatio latæ ſententiæ in alienantes, & bona alie-
40 nata recipientes. Tertia, interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ Epiſcopis, & Abbatibus, qui ſi per ſex menſes in eo induraverint; eo ipſo ſuſpenſi ſunt ab adminiſtratione, & Officio, cui prĉſunt; ſi que inferiores Prĉlati ſint, eo ipſo ſunt privati Beneficiis, quorum bona
41 alienarunt. Ac demùm bona alienata ad Eccleſiam dominam liberè revertuntur, una cùm fructibus ab emptore perceptis, & melioramentis in re empta factis *Cap. ſi quis hoc tit. ibique Abb. num.* 1. & 6. *l. Jubemus* §. *Sanè C. de ſacroſ. Eccleſ. & Can. non licèt* 14. *quæſt.* 2. *Ciarlin. contr.* 183. *per tot.* & *Marth. vot.*
42 *Piſan.* 86. ſi tamèn emptor bona fide emerit, poterit agere contra Prĉlatum illegitimè alienantem ad recuperandum pretium, & ſi iſte non ſit ſolvendo, poterit agere contra Eccleſiam in caſu, quo facta fuerit locupletior, cùm æquitas neminem patiatur cùm alterius jactura locupletari *leg. nàm hoc ff. de condict. indeb. Sperell. dicta deciſ.* 154. *num.* 55. *Rota coram Buratt. deciſ.* 814. *num.* 1. *coram Duran. deciſ.* 18. *num.*27. &
43 *coram Merlin. deciſ.* 219. *per tot.* & *deciſ.* 849. *num.*2. ſin autèm mala fide, & ſciens alienationem invalidam, emerit, in pœnam amittit pretium, quòd Eccleſiæ lĉſæ acquiritur, juxtà *dict. l. jubemus* §. *Sanè*.

44 Nec admirationem incutiat, quod *d. lex. jubemus* à Leone Imperatore condita, & à Juſtiniano ad omnes Eccleſias, & loca pia extenſa *in Auth. de non alienand.* §. *Nos igitùr*, & §. *Quià verò Leonis, collat.* 2. diſponat in materia Eccleſiaſtica, & ſui obſervantiam nanciſcatur.

Nàm

Digitized by Google

45 Nàm cùm hæc civilis Conſtitutio fuerit à Papa canonizata,non dicitur ampliùs Lex Civilis, ſed Canonica, adeòque etiam Clericos ligans, juxtà *Hoſtienſ. in cap. nulli hoc tit. in fin. verſ. & de ipſa lege*, ac *Felin. in cap.* 1. *de præſumpt. notab.* 1.

46 His adde, quod etiàmſi alienatio rei Eccleſiaſticæ facta fuerit ex juſta cauſa, & cùm debitis ſolemnitati-
47 bus, ſi tamèn ex illa fuerit Eccleſia enormitèr læſa habeat reſtitutionem in integrum, per *text. in cap. ad noſtram hoc tit. Altograd. conſ.* 26. *per tot. lib.* 1. *Gratian. diſceptat.* 624. *num.* 1. *&* 17. *& Rota deciſ.* 336.
48 *num.* 26. *parte* 10. *recent.* quo caſu tamèn emptor poterit repetere pretium,& meliorationes una cùm mercede laboris, & induſtriæ collocatę in augenda, & excolenda re alienata,niſi ex perceptis fructibus jàm laboris compenſationem acceperit, juxta *text. cit. & cap.* 1. *de in integr. reſtit.*

49 Aſſero ultimò; Pręlatus nulla Juris ſolemnitate ſeṛvata poteſt pręjudicare Eccleſię in acquirendis, puta repudiare poteſt hæreditatem, vel legatum rei immobilis, vel mobilis pretioſę relictum Eccleſię. Ità *Abb. in cap. tua num.*9.*de his quæ fiunt à prælat.&c. Jaſ. in l. legatum ſervo numer.* 20. *ff. de legatis primò, Sanchez lib.* 6. *de matrim. diſput.* 4. *numer.* 11. *&* 12. *Sylv. in ſum. v. alienatio qu.* 19. *Gratian. diſcept.* 568. *num.*51. *& ſeq. Azor.* 2. *part. Inſtit. moral. lib.*9. *cap.* 1. *quæſt.* 12. *Menoch. de arbitr. lib.* 2. *caſ.* 171. *num.* 52. *Gomez* 2. *var. cap.* 14. *num.* 13. *Rota deciſ.* 67. *part.* 2. *diverſ.* Ratio eſt, quià hęc repudiatio, non eſt propriè alienatio rei Eccleſiaſticę, cùm antè acceptationem hęreditas, vel legatum non ſit in Eccleſiæ dominio:
50 Quod clarius fit ex *l. ſi ſponſus* §. *Si maritus ff. de donat. inter vir. & uxor.* ubi marito permittitur re-

pudiare legatum, ùt illud uxori obveniat, nec tamèn cenſetur eſſe alienatio, aùt donatio intèr coniuges;&
51 in *l. qui autèm §. Perinde, & §. Sed & illud ff. quæ in fraud. credit.* &c. repudiatio hæreditatis, vel legati à debitore facta non cenſetur alienatio facta in fraudem Creditorum; Quare patet Prælatum ſic repudiantem merè non acquirere Eccleſiæ, non autèm de bonis ejus quid diminuere; aliud autèm eſt quæſita perdere, & de novo non lucrari.

52 Nec obſtant primò *textus in l. cum pater §. Surdo, & l. legatum ff. de leg. 2. ac in l. à Titio in fine ff. de furtis,* in quibus dicitur, legatum conſiſtens in ſpecie tranſire à morte Teſtatoris in dominium legatarii, nec ad id expectandam fore aditionem hæreditatis.

53 Reſpondetur enìm, à morte Teſtatoris, & antè acceptationem dominium rei legatæ transferri in legatarium, non quidem propriè, & revera, ſed fictione Juris, ac revocabilitèr, & ſub tacita conditione, *niſi repudietur*; quarè ſi poſteà repudietur, fingitur illius dominium numquàm fuiſſe quæſitum legatario.

54 Neque ſecundò obſtat *text. in l. magìs puto §. Si pupillus verſ. fundum autèm ff. de rebus eorum, qui ſub tutela &c.* loquens per hæc verba = *Fundum autèm legatum repudiare pupillus ſine Tutoris authoritate non poteſt; eſſe enìm, & hanc alienationem, cùm res ſit pupilli, nemo dubitat.*

55 Diſparitas enìm inter Pupillum, & Prælatum in caſu noſtro eſt, quod Pupillus careat adminiſtratione bonorum ſuorum, quæ ad Tutorem devolvitur: Pręlatus è contrà adminiſtrationem retineat bonorum
56 Eccleſię. Rurſus in pupillo non prohibetur ſola alienatio,& dilapidatio bonorum,ſed etiàm omiſſio lucri; quare cùm Pupillus per dictam repudiationem lucrum

amittat

amittat, quodammodò dicitur alienare; in bonis autèm Eccleſiæ tùnc dictæ ſolemnitates requiruntur quando fieri debet vera, perfecta, & rigoroſa alienatio, cùm ſcilicet rei acquiſitæ dominium, vel jus in re in alium transfertur;& revera *in cap. cùm Apoſtolica, de his, quæ fiunt à Prælat.* &c. in tantùm dicitur alienari non poſſe ab Epiſcopo ſine conſenſu Capituli, quòd ab Eccleſia jàm poſſidetur, id ſcilicet, quod eſt illi jam perfectè acquiſitum, non autèm fortè acquirendum.

57 Adverte tamèn ex dictis, Prelatum, quamvis equiparatum multotiès in Jure Tutori, & Curatori, ab iis tamèn in pluribus differre, ùt benè notat *Gloſ. recepta*
58 *in Can. ult. 5. quæſt. 3. in fin. caſus*. Primò, quià Tutor eſt ad tempus, Prelatus verò perpetuus. Secundò,
59 quià Tutor nequit uti frui rebus Pupilli, ſecùs Prelatus bonis Eccleſie; juxtà *Gloſ. in cap. ult. verb. reſer-*
60 *vari de offic. ordin. in ſexto*. Tertiò, quià tutela eſt onus, Prelatura honor, ac dignitas cùm juriſdictione
61 conjuncta. Quartò, quià Prælatus habet liberam, & generalem adminiſtrationem rerum Eccleſie, preterquàm in caſibus à Jure exceptis, adeòque ampliorem, quàm Tutor, vel Curator.

62 Verùm quidèm eſt, quod ſi Prelatus ex doloſa vel negligenti adminiſtratione aliquid neglexerit acquirere Eccleſie ſue, quod poterat, teneatur ad refectionem damni eodem modo, quo Tutor *Can. 2. 12. quæſt. 4. ibique Gloſ. verb. neglectum, & Gratian. diſcept. 601.*
63 *num. 12. & diſcept. 674. num. 20. & ſeqq.* Et Eccleſia damnificata in hoc caſu optionem habet, vel petende reſtitutionis in integrum, vel agendi contra Prelatum negligentem. Ita *Text. in Can. quicumque 12. quæſt. 4. & Gloſ. in cap. auditis verb. reſtituimus, de in integr.*

 reſtitut.

reſiitut. Abb. loco citato numer. 9. *Jaſon. loco citato num.* 19. *Sanchez ubi ſupra numer.* 15. *Covar. lib.* 1. *var. cap.* 13. *num.* 10. & 11. *Lezan. part.* 2. *cap.* 14. *numer.* 60. *Leſſ. de Juſt & Jur. lib.* 2. *cap.* 17. *dub.* 9.
64 *num.* 66. Quod ſi Eccleſia peteret reſtitui in integrum contrà aliam Eccleſiam, cui jam eſſet acquiſita hęreditas à Pręlato Eccleſię petentis repudiata, non eſſet audienda, quià melior eſſet conditio Eccleſię poſſidentis, & certantis de amittendo Jure ſibi acquiſito, quàm alteriùs Eccleſię certantis de lucro captando, ad mentem *Sanchez loco citato*, *Quarant. verbo alienatio numer.* 43. *Vaſq. de reddit. cap.* 2. §. 2. *dub.* 4. *num.* 39. *Ricc. deciſ.* 22. & *aliorum apud Thomam del Bene de Immunit. Eccleſ. par.* 2. *cap.* 17. *dub.* 6. *num.* 24.

Et hęc ſatis in alteram partem Inſtitutionum Canonicarum, ad Dei, & Beatiſſimę Virginis gloriam.

INDEX

Digitized by Google

INDEX MATERIARUM SECUNDÆ PARTIS.

A

Alienatio

Quotuplex ſit *tit. ultim. numer.* 2. *pag.* 209.

Quando fuerit habita prima mentio alienationis prohibitæ rerum Eccleſiaſticarum *ibid. num.* 3. *pag.* 210.

Res Ecclesiæ alienari prohibentur, etiàm alienatione lato modo ſumpta *ibidem num.* 4.

Amplia, ùt *ibidem à num.* 5. *ad* 11. *pag.* 211. & 212. *in princ.*

Limita, ùt *ibid. à num.* 12. *ad* 17. *dicta pag.* 212.

Quę ſolemnitates requirantur ad validam alienationem rei Eccleſiaſticæ *ibid. a n.* 18. *ad* 25. *pag.* 213.

In quibus caſibus ad alienandum bona Eccleſiaſtica non requiratur Beneplacitum Apoſtolicum *ibidem a numer.* 26. *ad* 37. *dicta pag.* 213. *pag.* 214. & 215.

Quę pœnæ militent contrà illegitimè alienantes bona Eccleſiaſtica *ibid. a num.* 38. *ad* 45. *d. pag.* 215. *pag.* 216. & 217. *in princ.*

Quid agendum ſi Eccleſia fuerit lęſa ex contractu valido *ibid. num.* 47. & 48. *dicta pag.* 217.

Prælatus poteſt præjudicare Eccleſiæ in acquirendis, & quare *ibidem num.* 49. 50. & 51. *dicta pag.* 217. & 218. *in princ.*

Solvuntur objecta *ibidem a num.* 52 *ad* 61. *dicta pag.* 218. & 219.

Et an ſi Prælatus Eccleſiæ præjudicaverit, teneatur ad refectionem damni *ibid. n.* 62. & 63. *d. pag.* 219.

Quid dicendum, ſi Eccleſia agat contrà aliam Eccleſiam, cui ſit acquiſitum id, quod repudiatum fuit à Prælato Eccleſiæ Actricis *ibidem num.* 64. *pag.* 220.

Altare

Cùr ità dicatur *tit.* 16. *n.* 34. *pag.* 142.

Quo-

Quotuplex ſit *ibid. nu.*35. 36. *&* 37. *pag.* 143.*
Quomodo exercetur, itaùt nova conſecratione indigeat *ibidem à num.* 39. *ad* 41. *pag.* 144.
An polluarur polluta Eccleſia, & è converſo *ibidem numer.* 42. *&* 43. *pag.* 145.

B

Baptiſmus

In nomine, quid importet *tit.* 2. *n.*1. *pag.* 11.
Quid in re *ibid. num.* 1. 2. 3. *&* 4.
Quando illum Chriſtus in Sacramentum inſtituerit *ibid. à numer.*5. *uſque ad num.* 9. *dicta pag.* 11. 12. *&* 13.
In quo differat Baptiſmus Chriſti à Baptiſmo Joannis *ibid. à num.* 10. *uſque ad nu.*14. *dicta pag.* 13. *&* 14.
Quæ ſit materia remota illius *ibidem num.* 16. 17. *&* 18. *dicta pag.* 14.
An aliqui liquores ſint ejus materia ſufficiens *ibidem num.* 19.
Quæ ſit materia proxima *ibid.nu.* 20. *pag.* 15.
Quomodo ſit ponenda hæc materia *ibid. num.* 21. *&* 22.
Quæ ſit ejus forma *ibid. numer.* 23. 24. *&* 25.
Quæ mutatio formæ reddat illicitum baptiſmum, vel non *ibidem num.* 26. *pag.* 16.
Quid ſint Baptiſmus flaminis, & ſanguinis *ibidem à num.* 27. *uſque ad num.* 30.
An aliquando ſit repetendus Baptiſmus *ibid. n.* 31. *&* 32. *pag.* 17.
Quodnam ſit ſubjectum capax baptiſmi *ibid. num.* 33. *&* 34.
Quæ requirantur in adulto, ùt ope Baptiſmi gratiam ſanctificantem conſequatur *ibid. num.* 35. *&* 36.
Quomodo baptiſmus ſit neceſſarius ad obtinendam ſalutem *ibid. num.* 37. 38. *&* 39. *pag.* 18.
Quinam ſit Miniſter hujus Sacramenti *ibidem num.* 40.
Quid requiratur, ùt licitè conferatur Baptiſmus *ibidem num.* 41.
An poſſint plures ſimul eumdem Baptizare, vel aliud ſimile Sacramentum eidem perſonæ miniſtrare *ibid. a num.*42. *uſque ad num.*45. *pag.* 19. *&* 20. *in princ.*

C

Chriſtus

Qua homo, quomodo ſit author Sacramentorum *tit.* 1. *numer.* 21. *uſque ad num.* 24. *pag.* 6.

Cœmeterium

Vide verbo Eccleſia.
Quid ſit *tit.*16. *n.*44. *&* 45. *pag.*145.
An dicatur pollutum polluta Eccleſia *ibid. numer.* 46. *&* 47. *dicta pag.*145. *&* 146.

Confirmatio

Quid ſit *tit.* 3. *num.* 1. *pag.* 20.
Quando fuerit à Chriſto in Sacramentum inſtituta *ibidem numer.* 2. *&* 3.
Quæ ſit materia remota, & proxima illius *ibidem num.* 4. *&* 5. *pag.* 21.
Quæ forma *ibidem num.* 6.

Quod

Quod nàm ſubjectum *ibid. num.* 7.
Quæ ætas requiratur ad ejus licitam ſuſceptionem *ibidem num.* 8.
An amentibus largiri poſſit *ibidem num.* 9. *&* 10. *dicta pag.* 21. *&* 22. *in princ.*
An peccet mortalitèr eam non ſuſcipiens *ibidem. num.* 11. *d. pag.* 22.
Quinam ſit ejus Miniſter *ibidem numer.* 12.
Quinam ſint ejus effectus *ibidem numer.* 14. *&* 15.

D

Decimæ

Vidi verbo Primitiæ, & verbo Oblationes.
Quid ſint quoad nomen, & quidditatem intrinſecam *tit.* 19. *num.* 1. 2. *&* 3. *pag.* 189.
In ſtatu naturæ an ſolverentur *ibidem num.* 4.
Et an in lege veteri *ibid. n.* 5. *p.* 190.
In lege gratiæ quo Jure debeantur Divino ne, & naturali, an tantùm Eccleſiaſtico *latè ibidem a num.* 6. *ad* 21. *d. pag.* 190. *pag.* 191. 192. *&* 193.
Cur debeantur in decima parte fructuum, & non alia *ibid. numer.* 22. *pag.* 194.
Quotuplices ſint *ibid. à num.* 23. *ad* 27. *d. pag.* 194 *& pag.* 195. *in princ.*
In quibus differant decimæ prædiales, & perſonales *ibid. à num.* 28. *ad* 35. *d. pag.* 195. *& pag.* 196.
PRÆDIALES ex quibus rebus ſolvendæ ſint *ibidem à numer.* 36. *ad* 40. *pag.* 197.
An Deo ſolvamus decimas etiàm de tempore Anni *ibid. num.* 41.
In qua ſpecie ſolvi debeant decimæ prædiales *ibid. num.* 42.
An ex palea debeatur decima *ibid. num.* 43. *pag.* 198.
An ex fœno, & herba in pratis collecta *ibid. num.* 44. *&* 45.
An ex novalibus *ibid. num.* 46.
An ex pecudibus in agro depaſcentibus *ibid. à n.* 47. *ad* 52. *pag.* 199.
Quid ſi per medietatem Anni animalia pabulentur in una Parochia, per medietatem in alia *ibidem numer* 53.
Et quid ſi in una Parochia pabulentur, in alia accumbant *ibidem num.* 54. *&* 55. *d. pag.* 199. *in fin. & pag.* 200.
PERSONALES ex quibus rebus debeantur *ibid. n.* 56. *&* 57. *d. pag.* 200.
Cui Eccleſiæ ſolvendæ ſint *ibidem num.* 58. *&* 59.
Quomodo quis poſſit deobligari à ſolutione decimarum *ibid. à n.* 60. *ad* 66. *d. pag.* 200. *in fin. & pag.* 201. *ac* 202.
LAICI an ſint capaces Juris percipiendi decimas *ibidem à num.* 67. *ad* 71. *d. pag.* 202. *& pag.* 203.
Quid autèm nùnc probare debeant, ùt jus hoc acquirant *ibid. num.* 72. *&* 73. *d. pag.* 203.
Quæ pœna militet contrà non ſolventes integras decimas, vel impedientes ne illæ integrè ſolvantur *ibid. n.* 74. 75. *&* 76. *pag.* 204.

Divortium

Quid ſit *tit.* 14. *num.* 1. *pag.* 123.
Ex quibus cauſis poſſit fieri inter coniuges *latè ibid. à num.* 2. *ad* 10. *d. pag.* 123. 124. *&* 125.
In quibus caſibus nequeat fieri ob adulterium ab uno ex coniugibus com-

Digitized by Google

commiſſum *ibid. à num.* 11. *ad* 15. *d. pag.* 125. & 126.

E

Eccleſia

MATERIALIS quid ſit *tit.* 15. *numer.* 2. *pag.* 127.
Quinam illam poſſint ædificare *ibid. num.* 3. & 4.
Quomodo requiratur ad hoc conſenſus Epiſcopi *ibidem numer.* 5. *pag.* 128.
Et an requiratur ad extructionem Oratorii privati *ibidem num.* 6.
Quid agere debeat Epiſcopus in ædificatione Eccleſiæ *ibid. num.* 7.
An poſſit cogi Dominus ſoli ad illud vendendum pro ibi ædificanda Eccleſia *ibid. num.* 8. 9. & 10.
An, & ex quibus cauſis poſſit erigi nova Eccleſia, vel Parochia intrà limites alterius *ibidem à num.* 11. *ad* 27. *pag.* 129. 130. & 131.
REPARATIO Eccleſiæ dirutæ ad quos ſpectet *ibid. à n.* 28. *ad* 33. *pag.* 132. & *num.* 37. *ac* 38. *pag.* 133. & *num.* 41. 42. & 43. *pag.* 134.
An ad illius reparationem teneantur forenſes poſſidentes bona intrà limites illius *ibid. numer.* 34. 35. & 36. *pag.* 133.
PATRONUS an teneatur ad reparationem Eccleſiæ patronatæ *ibidem num.* 40. *d. pag.* 134.
An poſſit aliquid donari intèr vivos, vel legati Eccleſiæ extruendæ *ibidem num.* 44.
An Epiſcopus poſſit cogere eos, qui tenentur reparare Eccleſiam, ad illam ampliandam *ibidem num.* 45. & 46. *pag.* 135.
An poſſit cogi vicinus ad vendendum ſolum ſuum vigore retractus, & juxtà *tex. in l. ſi quis ſepulchrum ff. de relig. & ſumpt. funer.* pro amplianda Eccleſia *ibidem à num.* 47. *ad* 50. *dicta pag.* 135. & 136.
A quo tempore ſoleat Eccleſia conſtructa conſecrari *tit.* 16. *numer.* 1. 2. 3. & 4. *pag.* 137.
A quo Epiſcopo debeat conſecrari, & quid in ejus conſecratione peragere debeat Epiſcopus *ibidem num.* 5. & 6.
Quando dicatur ſufficientèr dotata *ibid. num.* 8. & 9. *pag.* 138.
Et quando ſit execrata, ùt nova conſecratione indigeat *ibidem à num.* 10. *ad* 14.
In quo diſtet conſecratio illius à conſecratione rei animatæ *ibidem num.* 38. *pag.* 143.
Quomodo polluatur *latè ibidem à numer.* 15. *ad* 31. *pag.* 139. 140. & 141.
An dicatur polluta, polluto Cœmeterio *ibidem num.* 48. *pag.* 146.
Quomodo ſit reconcilianda *ibidem num.* 32. *pag.* 242.
Et cujus expenſis reconcilianda ſit *ibidem num.* 33.

Euchariſtia

Quid in nomine importet *tit.* 4. *num.* 1. *pag.* 23.
Quid in re *ibid. num.* 2.
An cõſtituatur intrinſecè tùm à ſpeciebus panis, & vini, tùm à Corpore, & Sanguine Chriſti *ibidem num.* 3.
Quando inſtituerit Chriſtus hoc Sacramentum *ibid. num.* 4. *pag.* 24.
Quæ ſit, vel non ſit materia hujus Sacra-

Sacramenti *ibidem a numer.* 5. *uſque ad n.* 8. *&* 9. *dicta pag.* 24. *&* 25.
Quare aqua in Calice ſit vino miſcenda, & an ex neceſsitate præcepti, vel Sacramenti *ibid. nu.* 10. *dicta pag.* 25.
Quomodò debeat eſſe præſens materia ſacrificanti, ùt conſecretur *ibidem num.* 11. *in fin.*
Et an debeat eſſe determinata *ibidem num.* 12. *pag.* 26.
Quæ ſit forma hujus ſacramenti *ibid. num.* 13. *&* 14.
An cùm corpore Chriſti adſit in Hoſtia Divinitas, & ſanguis, & quid dicendum de ſanguine exiſtente in Calice *ibidem num.* 15.
Quot modis ſumi poſsit hoc Sacramentum *ibid. num.* 16. 17. *&* 18. *pag.* 27.
Quæ ætas requiratur in ſuſcipiente hoc Sacramentum *ibidem num.* 19.
An ſit dandum amentibus *ibidem nu.* 20. 21. 22. *&* 23. *dicta pag.* 27. *&* 28.
Et quid dicendum de Dæmoniacis *ibidem num.* 24.
Quando præcepto Divino teneamur ſumere Euchariſtiam *ibidem num.* 25.
Et quando teneamur ex vi præcepti Eccleſiaſtici *ibid. nu.* 26. *pag.* 29.
Et an teneamur ſuſcipere Euchariſtiam jejuni; ubi de aliquibus caſibus, in quibus dubitatur, an frangatur hoc jejunium, nec ne *ibidem a num.* 27. *uſque ad num.* 33. *dicta pag.* 29. *&* 30.
Quinam ſit Miniſter hujus Sacramenti *ibid. n.* 34. 35. *&* 36. *pag.* 31.

Extrema Unctio

Quid ſit *tit.* 8. *num.* 1. *pag.* 61.
Quando fuerit inſtituta in Sacramentum à Chriſto *ibidem num.* 2.
Quando fuerit promulgatum hoc Sacramentum *ibidem num.* 3.
Quæ ſit materia remota illius *ibid. num.* 4. *&* 5.
Quæ materia proxima *ibidem num.* 6. *pag.* 62.
Et quomodo ſit applicanda *ibidem num.* 8.
An ſit ungendus ægrotus aliquo corporeo ſenſu deſtitutus *ibidem numer.* 7.
Quænam ſit forma, & quomodò ſit applicanda *ibid. num.* 9. 10. *&* 11. *pag.* 63.
Quodnam ſit ſubjectum capax hujus Sacramenti *ibidem num.* 12. *& nu.* 15. *dicta pag.* 63. *& pag.* 64.
An ſit capaces Amentes *ibidem num.* 13. *&* 14. *dicta pag.* 63.
An poſsit pluriès hoc Sacramentum conferri *ibid. num.* 16. *d. pag.* 64.
Quinam ſit illius Miniſter *ibid. n.* 17. *&* 18. *dicta pag.* 64. *&* 65. *in princ.*
Quinam ſint effectus hujus Sacramenti *ibidem a numer.* 19. *uſque ad* 22. *dicta pag.* 65. *& pag.* 66. *in princ.*
Quomodo ſit neceſſarium hoc Sacramentum ad æternam ſalutem acquirendam *ibid. num.* 23. *&* 24. *dicta pag.* 66.
Quid ſi omittatur illius ſuſceptio ob negligentiam *ibid. num.* 25.
Quid ſi ob contemptum *ibid. num.* 26.

I

Immunitas Eccleſiaſtica

Quid ſignificet *tit.* 17. *n.* 1 *pag.* 146.
Quotuplex ſit *ibid. num.* 2. *pag.* 147.
Locali Immunitate, quæ loca gaudeant latè *ibidem a num.* 3. *ad* 12. *dicta pag.* 147. 148. *&* 149.
Quinam actus non poſsint fieri in Eccleſiis, ex capite dictæ Immunitatis *ibid. a n.* 13. *ad* 23. *pag.* 150. *&* 151.
In quo ſtet *Jus Aſyli*, quo Eccleſiæ fruuntur *ibid. num.* 24. *&* 25. *d. pag.* 151.
Quænam perſonæ illo non gaudeant *ibid. a num.* 26. *ad* 33. *d. pag.* 151. 152. *&* 153.
Etiàm debitores civiles illo fruuntur *ibid. num.* 34. *pag.* 154.
An fruantur Judæi, & alii Infideles *ibid. a num.* 35. *ad* 37.
Quæ pœna militet contrà Judicem ſæcularem extrahentem per vim reum ab Eccleſia *ibidem num.* 38. *&* 39. *pag.* 155.
Quotuplicia ſint onera, quæ imponi poſſunt rebus Eccleſiaſticis *ibidem a num.* 40. *ad* 47. *d. pag.* 155. 156. *&* 157. *in princ.*
Bona poſſeſſa ab Eccleſia titulo ſpiritnali nullo onere gravari poſſunt *ibid. num.* 48. *d. pag.* 157.
Et poſſeſſa titulo temporali tàm ab Eccleſiis, quàm à perſonis Eccleſiaſticis ſunt immunia ab oneribus tùm realibus, tùm mixtis de novo imponendis *ibid. num.* 49.
Secùs autèm ab oneribus realibus perpetuis, quibus erant gravata; antequam tranſirent in manus Eccleſiaſticorum *ibidem a num.* 50. *ad* 54. *pag.* 158. *&* *pag.* 159.
Quando dicatur onus merè reale, & quando mixtum *ibid. num.* 55.
Quæ conditiones ſervandæ ſint, ùt Clerici Laicis licitè contribuere poſsint *ibidem a numer.* 56. *ad* 64. *pag.* 160. *&* 161.
Explicantur quoad hoc quidam textus Juris Civilis *ibidem numer.* 65. *&* 66. *dicta pag.* 161.
Quæ perſonæ Eccleſiaſticæ gaudeant hac Immunitate *ibid. a numer.* 67. *ad* 70. *pag.* 162.
An Laici Coloni Eccleſiæ gaudeant hac Immunitate *ibidem num.* 71. *&* 72.

Impedimenta Matrimonii

Quot generis ſint *tit.* 13. *numer.* 2. *pag.* 103.
Quæ ſint dirimentia matrimonium *ibid. num.* 3. *pag.* 104.
ERROR quando dirimat, vel non *ibid. a num.* 4. *ad* 7.
RELIGIONIS Impedimentum quid ſit, & quando matrimonium dirimat *ibidem a num.* 8. *ad* 11. *pag.* 105. *&* 106.
COGNATIO quotuplex ſit *ibid. n.* 12. *dicta pag.* 106.
Naturalis quid ſit, & quot ejus ſint lineæ *ibid. a num.* 13. *uſque ad* 24. *dicta pag.* 106. *in fin. &* 107.
Quomodo computentur gradus conſanguinitatis, tàm de Jure Civili, quàm Canonico *ibidem. a num.* 25. *uſque ad* 29. *pag.* 108. *&* 109.
Ratio diſcriminis intercedentis in hac

Digitized by Google

hac computatione intèr Jus Civile, & Canonicum *ibid. num.* 30. & 31. *pag.* 110. & 111
Inter aſcendentes, & deſcendentes uſque ad quem gradum ſit prohibitum matrimonium *ibid. num.* 32. *dicta pag.* 111.
Et uſque ad quem gradum intèr collaterales *ibidem num.* 33.
LEGALIS COGNATIO quid ſit, & inter quas perſonas dirimat matrimonium *ibid. num.* 34. & *duob. ſeqq. pag.* 112.
SPIRITUALIS COGNATIO quid ſit, & inter quos dirimat matrimonium *ibid. num.* 37. & 38.
An non baptizatus in caſu neceſsitatis aliquem baptizans contrahat cognationem ſpiritualem *ibidem num.* 39. 40. & 41. *dicta pag.* 112. *in fin. pag.* 113.
CRIMEN quodnam, & quomodo dirimat matrimonium, latè *ibid. a num.* 42. *uſque ad* 46. *d. pag.* 113. & 114.
CULTUS DISPARITAS, an, & quando matrimonium dirimat *ibidem num.* 47. 48. & 49. *d. pag.* 114.
VIS, & ORDO, quæ impedimenta ſint *ibid. numer.* 50. & 51. *pag.* 115.
LIGAMEN quodnam impedimentum ſit *ibidem num.* 52.
PUBLICA HONESTAS quomodo matrimonium dirimat *ibid. a num.* 53. *ad* 57. *dicta pag* 115. & 116.
RAPTUS quomodo matrimonium dirimat *ibidem num.* 58. & 59. *dicta pag.* 116. *in fin.* & *pag.* 117.
IMPOTENTIA COEUNDI, an & quando dirimat matrimonium *ibidem a num.* 61. *ad* 69. *dicta pag.* 117. 118. & 119.
ÆTAS quomodo matrimonium dirimat *ibidem num.* 70. & 71. *dicta pag.* 119.
AFFINITAS quid ſit *ibidem num.* 72. & 73. *pag.* 120.
Inter quas perſonas contrahatur *ibidem num.* 74. & 75.
Quomodo computentur gradus Affinitatis *ibidem num.* 76.
Uſque ad quem gradum prohibeatur matrimonium inter Affines? *ibid. num.* 77. & 78. *pag.* 121.
Impedimenta mere impedientia matrimonium quænam ſint *latè ibid. a num.* 79. *ad* 85. *pag.* 121. & 122.

Intentio

Quid ſit *tit.* 1. *numer.* 26. *pag.* 6. *in fin.*
Quotuplex *ibidem numer.* 27. & 28. *pag.* 7.
Quæ requiratur ad valorem Sacramenti in ejus Miniſtro *ibid. nu.* 29. 30. & 31. *dicta pag.* 7. & 8.
An ſufficiat Intentio ſub conditione pendente in futurum *ibid num.* 32. *d. pag.* 8.
Quid ſi conditio conferatur in tempus preſens, vel præteritum *ibid. num.* 33. *pag.* 9.
Quę intentio ſufficiat in ſuſcipiente Sacramentum *ibidem numer.* 34.

L

Literæ

DIMISSORIÆ quid ſint *tit.* 9. *num.* 42. & 43. *pag.* 72.
An ſine illis poſsint ordinari Regulares *ibidem numer.* 45.
An, & quando illas concedere poſsit Capitulum Sede Epiſcopali vacante *ibidem numer.* 44.

M

Matrimonium

Quid ſit *tit.* 11. *num.* 1. *&* 2. *pag.* 82.

Quando fuerit à Chriſto elevatum ad dignitatem Sacramenti *ibidem num.* 3.

Quotuplex ſit *ibidem num.* 4. *&* 5.

Quinam ſint illius Miniſtri *ibid. num.* 6. *pag.* 83.

Materia, & forma ſunt ipſi conjuges ſecundum diverſos reſpectus *latè ibid. à num.* 7. *uſque ad* 10. *d. pag.* 83. *&* 84.

Satisfit objectis *ibidem à numer.* 11. *uſque ad* 14.

Clandestinum quodnã ſit, & quomodò ab Eccleſia prohiberi potuerit *ibid. à num.* 15. *uſque ad* 18. *pag.* 85. *& ſeqq.*

Quomodò Teſtes, & Parochus debeant præſtare præſentiam matrimonio contrahendo, & qui poſſint intervenire ùt Teſtes *ibidem num.* 19. *&* 20. *pag.* 86.

Denunciationes matrimonii celebrandi quomodo fieri debeant *ibid. num.* 21. *pag.* 87.

An poſſint remitti ab Epiſcopo, vel Parocho *ibid. num.* 22. *&* 23.

Metu factum quando ſit nullum *ibid. num.* 24. 25. *&* 26. *d. pag.* 87. *& pag.* 88.

Metus reverentialis an illud invalidet *ibid. num.* 27. 28. *&* 29. *dicta pag.* 88.

In dubio an præſumendum ſit pro matrimonii validitate *ibidem numer.* 30.

Simulatum eſt nullum *ibid. nu.* 31. *&* 32. *pag.* 89.

Limita ùt *ibid. à nu.* 33. *uſque ad* 36.

Sub conditione honeſta pendente in futurum an poſſit celebrari *ibidem à num.* 37. *uſque ad* 40. *dicta pag.* 89. *& pag.* 90.

Et quid dicendum de ſponſalibus ità contractis *ibid. numer.* 41. *&* 42. *d. pag.* 90.

Quid ſi conditio repugnet ſubſtantiæ matrimonii *ibidem num.* 43.

Quid ſi non ſit talis, ſed ſit turpis, vel impoſsibilis *ibid. n.* 44. *pag* 91.

Bona Matrimonii, quænam ſint *tit.* 12. *num.* 1. *d. pag.* 91.

Debitum Coniugale ſemper eſt reddendum, aliàs peccatur mortaliter *ibid. num.* 3. *&* 4. *pag.* 92.

Etiamſi petatur à conjuge in vaſe naturali, ſed non ſervato ſitu ordinario *ibid. n.* 6. *&* 7. *d. pag.* 92. *&* 93.

Limita ùt *ibid. num.* 5. *d. pag.* 92. *& à num.* 8. *uſque ad n.* 15. *d. pag.* 93. 94. *&* 95.

Incestus quando non privet jure petendi debitum conjugem inceſtuoſum *ibid. n.* 16. *&* 17. *pag.* 96.

Conjugum mutua cohabitatio quid importet *ibid. num.* 18.

Quis teneatur alere uxorem, & familiam *ibid. num.* 19. *&* 20.

An uxor ſequi maritum debeat domicilium mutantem *ibid. à n.* 21. *ad* 24 *pag.* 97.

Et an debeat ſequi exulantem *ibid. num.* 25.

Quomodo conjux ſuperſtes debeat eſſe certus de morte alterius, ùt cùm alia perſona poſsit contrahere novum matrimonium *ibid. à num.* 28. *uſque ad* 30. *pag.* 98.

An poſsint licitè conjuges exercere actum conjugalem ad vitandam incontinentiam *ibid. num.* 31. *uſque ad* 35. *d. pag.* 98. *& pag.* 99.

Et

Et an ad tuendam ſanitatem corporalem *ibidem num. 36. uſque ad 39. dicta pag. 99. & pag.* 100.

Et an ad capiendam voluptatem *ibidem num.* 40. & 41. *dicta pag.* 100.

Matrimonium an ſit indiſſolubile de jure naturæ *ibidem numer.* 43. *pag.* 101.

An fuerit indiſſolubile in lege Moſaica *ibidem num.* 44.

Quando ſit indiſſolubile in lege Evangelica, & quando non ſit *ibidem à num. 45. ad 52. dicta pag.* 101. 102. & 103.

O

Oblationes

Vide verbo decimę, & v. Primitię.

Quid ſint *tit. 19. num. 86. pag.* 206.

An fuerint præceptæ in lege veteri *ibidem numer.* 87.

An in lege gratiæ *ibidem num.* 88. 89. & 90.

A quibus perſonis recipi nequeant *ibidem à num. 91. ad 98. d. pag.* 206. & *pag.* 207.

Et quænam oblationes ab illis recipi nequeant *ibidem numer.* 100. & 101. *dicta pag.* 207.

In quo differant à decimis, & à primitiis *ibidem num.* 102. *pag.* 208.

Ad quas perſonas ſpectent, & ad quem finem *ibidem n.* 103. & 104.

An ſi fiant Capellæ ſitæ in aliqua Eccleſia ſpectent ad Capellanum, vel ad Eccleſiæ Rectorem *ibidem num.* 105. 106. & 107.

Et quid dicendum de factis Imaginibus Sacris depictis in parietibus *ibidem num.* 108. 109. & 110. *dicta pag.* 208. & 209.

Ordo

Quid ſit *tit. 9. num. 1. pag.* 67.

Quot ſint ordines *ibidem nu.* 2. & 3.

An Epiſcopatus ſit ordo diverſus ab aliis ordinibus *ibidem nu.* 4. & 5.

Quænam ſint materiæ, & formæ ordinum ſingulorum *latè ibidem à num. 6. uſque ad num. 29. dicta pag.* 67. 68. 69. & 70.

Quodnam ſit ſubjectum ordinationis capax *ibidem num.* 30. & 31. *dicta pag.* 70.

Quæ ætas requiratur ad ſuſcipiendos ordines majores *ibidem numer.* 33. & 34. *pag.* 71.

Quinam ſit Miniſter hujus Sacramenti *ibidem num.* 34.

Quis, & quotuplex dicatur Epiſcopus proprius ordinandi *ibidem à num. 35. uſque ad 41. dicta pag.* 71. & *pag.* 72.

Et quæ pœna militet contra Epiſcopum ordinantem non ſubditum *ibidem num. 46. dicta pag.* 72.

Ordinandus debet habere Beneficium, penſionem, vel patrimonium, ex quibus commodè ſuſtentari poſſit: Et cujus qualitatis debeant eſſe dicta bona *ibidem à num. 47. uſque ad 51. pag.* 73.

Limita ùt *ibidem* 54. & 55. *pag.* 74.

An poſſit quis ordinari ad titulum ejus, quod erit propria induſtria lucraturus *ibid. n.* 52. *dicta pag.* 73.

Et quid facere debeat Epiſcopus, ſi ordinaverit aliquem dd. Beneficio, penſione, & patrimonio carentem *ibidem num.* 53.

Ordinandus num debeat eſſe confirmatus *ibidem n.* 56. *dicta pag.* 74.

Et quæ ſcientia in eo prærequiratur *ibidem num.* 57. & *duob. ſeqq.*

An quis poſſit ordinari per ſaltum, & quid ſit ità ordinari *ibid. n. 60.*
Effectus ordinum quinam ſint *ibidem num. 61. & duob. ſeqq. pag. 75.*

P

Parochus

Vide verbo ſepultura.
Habet portionem Canonicam pro cadaveribus extrà Parochialem Eccleſiam ſepultis, & quare *tit. 18. num. 72. pag. 180 & nu. 79. & 80. pag. 181.*
Ex quibus rebus ſit detrahenda hæc portio *ibidem à numer. 81. ad 86. pag. 182.*
In qua quantitate ſit ſolvenda *ibidem à num. 87. ad 93. pag. 183.*
Romæ debetur Parocho integre etiàm funerale non factum, dummodò taxatum fuerit à Camerario Cleri, & quare *ibidem à num. 94. ad 98. dicta pag. 183. & pag. 184.*
Solvuntur oppoſita *ibidem num. 99. & 100. dicta pag. 184.*
In quibus caſibus hæc portio Parocho non debeatur *vide latè ibidem à num. 101. ad 113. pag. 185. 186. & 187.*
An debeatur, ſi Teſtator reliquerit aliquid Eccleſiæ Parochiali *ibidem à num. 114. ad 117. dicta pag. 187.*
An debeatur ex relictis Hoſpitalibus, vel Confraternitatibus Laicorum *ibid. n. 118. & 119. pag. 188.*

Pœnitentia

Quando fuerit à Chriſto inſtituta in Sacramentum *tit. 5. num. 1. pag. 31.*
Quid ſit *ibidem num. 2.*
Quæ ſit materia remota *ibidem num. 3. pag. 32.*
Quæ forma *ibidem num. 5. & 6.*
Quæ materia proxima *ibidem num. 4.*
An debeat verbis neceſſariò exprimi *ibidem num. 7.*
Contritio quid ſit *ibidem n. 8. pag. 33.*
Quotuplex *ibidem num. 9. & 10.*
Quinam Dei amor requiratur ad eliciendum actum contritionis *ibidem à num. 11. uſque ad num. 14.*
Sufficit attritio ad obtinendam gratiam in Sacramento Pœnitentiæ, nec contritio perfecta neceſſariò requiritur, & quare, latè *ibidem a num. 15. uſque ad n. 22. pag. 34. 35. 36. & 37.*
Vindicatur ab objectis *ibidem a num. 23. uſque ad num. 41. dicta pag. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. & 44.*
Qualis autèm debeat eſſe talis attritio *ibidem num. 42. & 43. pag. 45.*
An ſufficiat, ſi proficiſcatur ex metu Purgatorii *ibidem num. 44. & 45.*
Propoſitum requiſitum ad confeſſionem quale eſſe debeat *ibidem num. 46. & 47.*
An teneamur confiteri venialia *ibid. num. 50. pag. 46.*
Eo quando obligemur à Jure Divino ad confitenda mortalia *ibidem num. 51.*
Et quando ad id obligemur ex præcepto Eccleſiæ *ibidem num. 52. & 53. pag. 47.*
An huic præcepto ſatisfiat, qualibet interim anni parte fiat confeſſio *ibidem num. 54. 55. 56. & 57.*
Et an illi ſatisfiat per confeſsionem ſacrilegam, vel factam non Sacerdoti *ibidem a num. 58. uſque ad 61. pag. 48.*
Tenemur voce confiteri peccata *ibidem num. 62. & 63. pag. 49.*
Limitatur *ibidem num. 64. 65. & 66.*
Quo-

Quomodo debeat eſſe integra confeſſio, ùt valida ſit *ibidem a n.* 67. *uſque ad* 72. *dicta pag.* 49. *& pag.* 50.
An debeamus confiteri peccatū cùm infamia complicis apud Confeſſarium *ibidem numer.* 73. 74. *&* 75. *pag.* 51.
Quid ſit *ſatisfactio ibidem numer.* 76. *&* 77. *pag.* 52.
An ſit pars integralis, vel eſſentialis Sacramenti *ibidem n.* 78. 79. *&* 80.
An tollat omnem pœnam temporalem debitam peccatis *ibidem num.* 81. *&* 82.
Quinam ſit Miniſter Sacramenti Pænitentiæ *ibidem a num.* 83. *uſque ad* 89. *pag.* 53.
Quomodo ſit neceſſarium hoc Sacramentum ad acquirendam ſalutem *ibidem num.* 90. *&* 91. *pag.* 54. *in princ.*

Presbyterium

Quid ſit *tit.* 15. *num.* 39. *pag.* 133.

Primitiæ

Vide verbo Decimæ.
An ab Ethnicis penderentur *tit.* 19. *num.* 77. *pag.* 204.
An ab Hebræis, & quando *ibidem n.* 78. *&* 79. *dicta pag.* 204. *& pag.* 205. *in princ.*
An debeantur in lege Evangelica *ibidem num.* 80. *dicta pag.* 205.
In quo differant à Decimis *ibidem num.* 81. *&* 82.
An poſſint abrogari per contrariam conſuetudinem *ibidem n.* 83. *&* 84.
Cui Parochiæ ſolvendæ ſint de Jure Communi *ibidem num.* 85.

R

Res Eccleſiaſticæ

Vide verbo Alienatio.
Aliæ ſpirituales ſunt, aliæ temporales *num.* 1. *pag.* 1.
Quæ ſint ſpirituales *ibidem num.* 2.
Quotuplices ſint *ibidem num.* 4.
Quæ temporales *ibidem num.* 3.

S

Sacramentum

Vide verbo Chriſtus, & verbo Intentio.
In nomine quid importet *tit.* 1. *nu.* 1. *pag.* 2.
Definitiones variæ ejuſdem afferuntur *ibidem a n.* 2. *uſque ad* 7. *pag.* 2. *&* 3.
Requiſita eſſentialia ejuſdem recenſentur *latè ibidem a num.* 9. *uſque ad num.* 14. *dicta pag.* 3. *&* 4.
In quo differant Sacramenta novæ legis à Sacramentis veteris legis *ibidem num.* 15. 16. *&* 17. *pag.* 5.
In quo conſiſtant materia, & forma Sacramentorum *ibidem num.* 18.
Quinam ſit illorum Author *ibidem num.* 20. *pag.* 6.
Quot ſint novæ legis Sacramenta *ibidem num.* 35. *pag.* 9.
Quæ dicantur Sacramenta vivorum, & quæ mortuorum *ibidem num.* 36.
Quid ſit gratia Sacramentalis *ibidem num.* 37.
Quæ Sacramenta imprimant characterem *ibidem a num.* 38. *uſque ad n.* 41. *pag.* 10.

Quo-

Quomodo ſint neceſſaria ad ſalutem *ibidem* remiſsivè *num.* 43. & 44.

Sepultura

Vide verbo Parochus.

Quot nominibus nuncupetur *tit.* 18. *a n.* 2. *ad* 13. *pag.* 163. & 164.

Quomodò apud Chriſtianos fuerit introducta *ibidem num.* 14. & 15. *dicta pag.* 164.

Quotuplex ſit *ibidem a numer.* 16. *ad* 20. *pag.* 165.

Quilibet regularitèr ſepeliendus eſt in ſepulcro Majorum, ſi illud habeat *ibidem num.* 21. *pag.* 166.

Limita, ùt *ibidem num.* 22. & 23.

Si ſepulchrum Majorum non adſit, ſepeliri quis debet regularitèr in propria Parochia *ibidem num.* 24. *pag.* 167.

Quid ſi habens domicilium in Urbe decedat extrà illam *vide ibidem n.* 25. & 26.

Advenæ, Peregrini, et damnati ad mortem, ubi ſint ſepeliendi *ibidem num.* 27.

Et qui dicendum de *Prælatis Ordinum Regularium ibidem numer.* 28. & 29. *pag.* 168.

Uxor vidua ſepelienda eſt in ſepulchro Viri præmortui *ibidem n.* 30.

Limita, ùt *ibidem num.* 31.

Reſpondetur objectis latè *ibidem nu.* 37. 38. 39. *pag.* 170. & 171.

Quid ſi plures Viros ſucceſsivè habuerit *vide ibidem num.* 32.

Quid ſi Uxor præmoriatur Viro electâ ſibi ſepultura *ibidem numer.* 35. & 36. *pag.* 169.

Filius familias an poſsit eligere ſepulturam *ibidem num.* 40. & 41. *dicta pag.* 171. & 172. *in princ.*

Quid dicendum de Religioſis profeſsis *ibidem numer.* 42. 43. & 44. *dicta pag.* 172.

Quid de Novitiis *ibidem num.* 45. & 46. *pag.* 173.

Quid de Præpoſitis Generalibus Religionum *ibidem num.* 47. & 48.

Explicatur textus difficilis *in cap. fraternitatem de ſepulturis ibidem num.* 49. & 50.

Eccleſiæ Parochiales tantum habent jus ſepeliendi *ibidem num.* 51. *pag.* 174. & *num.* 73. *pag.* 180.

Et quis hoc Jus conceſſerit, ac concedere poſsit Regularibus *ibidem num.* 52. 53. & 54. *dicta pag.* 174. & *num.* 74. & 75. *dicta pag.* 180.

Quomodo hoc privilegium illis cōcedere ſoleat Sedes Apoſtolica *ibidem num.* 76. 77. & 78. *dicta pag.* 180. & 181.

Explicatur Textus in *cap. Animarum tit. dicto, latè ibidem a num.* 55. *ad* 60. *dicta pag.* 174. & *pag.* 175.

Terra jàm benedicta, vel conſecrata in ſepulturam fidelium non poteſt vendi *ibidem numer.* 61. *dicta pag.* 175.

Declara, ùt *ibidem a num.* 62. *ad* 68. *dicta pag.* 175. *pag.* 176. 177. & 178.

An ſit ſolvenda gabella pro emptione ſepulturæ *ibidem n.* 69. *d. pag.* 178

Quomodo puniatur Eccleſia authoritate propria ſepeliens alienum Parochianum *ibidem nu.* 70. & 71. *pag.* 179.

Sigillum Sacramentale

Quo Jure ſit inductum, & quid ſit *tit.* 6. *num.* 1. *pag.* 54.

Ex qua confeſsione oriatur *ibidem num.* 2.

An

An ex confeſsione facta Laico *ibid. num.* 3. & 4. *pag.* 55.

An ex facta animo irridendi confeſſarium, vel ad turpia ſollicitandi *ibid. num.* 5. & 6.

Quæ cadant ſub hoc ſigillo *ibidem num.* 7. 8. & 9. *d. pag.* 55. & *pag.* 56.

An notitia confeſsionis impediat Confeſſarium, quo minus uti poſſit notitia aliunde habita *ibid. num.* 10. & 11. *d. pag.* 56.

An teneantur hoc ſigillo alii à Confeſſario *ibid. n.* 12. & 13. *pag.* 57.

An ad evitandam mortem poſsit Confeſſarius hoc ſigillum violare *ibid. num.* 14. 15. & 16.

Quę pœna militet contrà Confeſſarium illud violantem *ibid. nu.* 17. & 18. *pag.* 58. *in princ.*

Sollicitatio

In Confessione quid ſit, & quâ pœna puniatur *tit.* 7. *numer.* 2. *pag.* 58. & 59.

Quando dicatur facta immediatè antè, vel poſt confeſsionem *ibid. num.* 3. 4. & 5. *d. pag.* 59.

Et quando ſimulando confeſsionem *ibidem numer.* 6. 7. & 8. *pag.* 60.

An confitens Laico fingenti ſe Sacerdotem, & ab illo ſollicitatus ad venerem, teneatur eum denunciare *ibidem numer.* 9. & 10.

Sponſalia

A quo ità dicantur *tit.* 10. *numer.* 2. *pag.* 76.

Quotuplicia ſint, & quid ſint *ib. n.* 3.

Sponſus ſinè juſtà cauſa volens reſilire à ſponſalibus, cogi debet à Judice Eccleſiaſtico ad illa ſervāda *ibidem numer.* 4.

Solvitur objectio contrà hoc factā *ibidem à num.* 5. *ad* 8. *pag.* 77.

Quæ ætas requiratur ad valida ſponſalia contrahenda *ibidem à numer.* 9. *ad* 13.

Quomodo ſolvantur ſponſalia, latè *ibidem à num.* 14. *uſque ad* 31. *à pag.* 78. *uſque ad pag.* 81.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google